V B J C
110890
kat.komp.
I
Mag. St. Dr.

~~Paedagog: 120.~~

110890
I

16. V. 103.

Nobili, Clarissimo, Excellentissimo, Doctissimoq Viro

Dn. Johanni Broscio Curzelowiensi,

Philosophiae et Medicinae Doctori,

et in Academiâ

CRACOVIENSI

ordinario Astrologo,

Amico ac Fautori meo

honorando

libellum hunc

L. M. q.

mitto

M. Elias Major

Auctor. mp.

M. ELIÆ MAIORIS

ORATIONES TRES

IN GYMNASIO VRATISLAVIENSI HABITÆ.

LIPSIÆ,
Typis Abrahami Lambergi.
Impensis Davidis Mülleri Bibliopol. Vratislaviens.
ANNO
M. DC. XXVI.

VIRIS

MAGNIFICIS,
STRENUIS,
NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS,

EQUITIBUS
SILESIÆ TELLURIS
CLARISSIMIS:

DOMINO

DOMINO FRIDERICO
à GELHORN,
IN ROGAVV, PETERSVVALDAVV,
VVEIGELSDORFF, MERTZ-
DORFF, ET BURGO RE-
GIO SCHVVIDNICENSI:

*SAC. ROM. CÆS. MAIES-
TATI, IN CAMERA PER SU-
PERIOREM ET INFERIO-
REM SILESIAM à
CONSILIIS:*

ITEMQVE
IN SUMMA CURIA REGIA ET
ORDD. DUCATUUM SCHVVIDNIT.
ET IAURAVIENSIS, AD-
SESSORI ET SENIORI:

DOMINO ADAMO
à SCHVVEINACH,
ET SCHVVEINHAUS,
IN KOLBNITZ, EISENDORFF, ET
ZISERVVITZ,

*IN EADEM SUMMA CURIA
REGIA ET ORDD. VTRI-
USQUE DUCATUS AD-
SESSORI ET SE-
NIORI:*

DOMI-

DOMINO GEORGIO
à POLSNITZ,
IN LIEBENTHAL,

LAUDATO VTRIQUE DUCATUI AB EXPEDITIONIBUS PRIMARIIS:

DOMINIS AC MECOENATIBUS MEIS SUMMIS,

POSTREMO ETIAM COMPATRI HONORANDO,

Salutem atque Observantiam.

MAGNIFICI, STRENUI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMIQ;
VIRI,

DOMINI AC MECOENATES SUMMI,

ETsi quod præstantissimi duo auctores, a Philosophus *Pythagoras*, & *Euripides* Poëta, monuere, *aut silendum esse, aut aliquid silentio melius proferendum*; id ad præcipiendam pariter & commendandam virtutum pulcerrimam & utilissimam taciturnitatem, propriatim pertinet: meâ tamen sententiâ illis etiam dictum est, aut certè dici debet hominibus eruditis, qui ingeniorum suorum monumenta litteris mandata, in publicum emittere cogitant. Nam & *hi vel nihil publicandum ac formulis excudendum curanto; vel ut id, quod è musæis suis in hominum manus emittunt, luce & lectione dignum sit, vidento.* Veniat illis in mentem, quod sapientissimus gravissimusq; vir *Ludovicus Vives* b admonuit, *vocem dissolvi statim, exaudiri à paucis: scripturam omnibus innotescere, & semper; idcirco nunquam non lædere, quæ hinc sint mala.* Perpendant ijdem, quod Cardano suo scripsit subtilissimus mortalium *Scaliger*: c *An tibi, inquiens, parum videtur, non dicam placere doctis, sed carere saltem reprehensione?*

a Pythagoras: χρὴ σιγᾷν, ἢ κρείσσονα σιγῆς λαλεῖν. Eurip. ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε.

b lib. 5. de trad. discipl.

c Exercit. 51.

Caret

Caret enim veniâ, qui sciens volens peccat: præsertim cum tot futura sæcula pro perpetuo theatro, pro instrumento nostræ bonæ malæq; existimationis simus habituri. Quare ubi perierit gratia novitatis, summâ ope conandum est, ut orationis veritate, gravitate, splendore, boni doctiq; viri nomen sustineamus. Terreantur deniq; gravissimis doctorum hominum censuris, severissimisq; judiciis, quæ nec eorum scriptis pepercere, qui ingenij doctrinæq; opinione, memoriam nominis sempiternam consecuti sunt. Quis *Hieronymo* illo *Cardano* doctior? quis clarior? Ipse *Scaliger* d *virum nunquam satis laudatum nominat, cui nihil ferè superfuerit ad perfectam eruditionem.* Et tamen non *Scaligeri* illius solum, sed & *Peripatetici* cujusdam censuram subire eum oportuit: qui quidem *Peripateticus* ita e censebat, *verba Cardani tam esse exoticè conjuncta ut quemadmodum cerebrum, quod ea dictasset, elleboro, ita manus, quæ scripsisset, scuticâ: liber, qui nugis illis esset oblitus, spongiâ digna esse viderentur.* Quid de *Jacobo Sannazario*? quid de *Petro Bembo* dicam? Etsi ipsorum etiam nomen melior fama ad orbem propagavit,

Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit: f

Nolentes tamen volentes à *Scipione Gentili Jurisconsulto*, Consiliario Reipub. & Antecessore Academiæ Norinbergensis, hæc audivere: g *Jacobus Sannazarius cum de Christo Jesu*

d præfatione exercitat ad candidū Lector.

e apud eundem Scaliger. Exercit. 37. Sect. 1.

f versus Taubmanni, sched. pag. 161.

g Commen in Epist. Pauli ad Philen cap. 18.

 tres

tres libros, sanè luculentos scripserit, ne semel quidem Christum aut Jesum nominare ausus est, offensus, ut puto, parum latinis auribus tritis nominibus: sed hoc in verbis. Quale autem illud est & quantum ejusdem in eodem opere peccatum etiam aliis notatum, quod sanctißimæ virgini Mariæ veteres de more Sibyllas, in manibus ponit; & de rebus à Christo gerendis vaticinium prolaturus, non Esaiam, non Davidem, non veterem alium Prophetam, sed Protheum ea canentem inducit in antro Jordanis, quò ex marino suo domicilio fortè diverterat. Nam quid de P. Bembo dicam? Is quidem epistolas omnes Pauli palàm condemnavit, easq; deflexo in contumeliam vocabulo, Epistolaccias est ausus appellare, cùm amico auctor esset, ne illas attingeret, vel, si cœpisset legere, de manibus abjiceret, si elegantiam scribendi & eloquentiam adamaret. Impiénè magis an stultè hæc Bembus dixerit, sciri non potest: adeò utrumq; in eo excellit, atq; eminet, impietas, inquam, & stultitia. Ut cæteram ejus carminum obscœnitatem taceam, quid ejus epistolis ineptius, & quidem illis, quas summi Pontificis nomine, & de rebus maximis scripsit, & ad viros maximos. Mentiar ego, & luam gravi pœnâ, si vel unam mihi in decem illis voluminibus epistolam ostendant amatores ejus, quæ non insigni aliquo vitio Grammatico laboret; aut puerili aliqua ineptiâ conspicua sit & demonstrabilis. Ne quid de rebus ipsis atq; sententiis dicam sapientiæ inanißimis, & mirè langvidis, & (repetendum est enim, quod ejus proprium maximè est) ineptis.

eptis.

eptis. Sed ne longior sim; qui & *ista exempla* susq; deq; ferunt, & *superiora prudentissima saluberrimaq́; tantorum virorum monita*, despicationi habent; eos equidem stultè se gerere cum existimaverim semper: idem hoc in tempore magnopere vereor, ut ea satis observasse videar, qui *tres has orationes*, quas cernitis, divulgem. Neq; enim tales sunt, ut ab iis, qui aliquid possunt de ingeniis atq; libris judicare, in eximiâ aliquâ commendatione eas iri positum existimem, siquidem illi studium atq; aures adhibuerint. Quin potius inter chartulas meas diutius delitescere illas, facilè ipse fuissem passus, nisi amicorum fautorumq́; quorundam admonitiones humanissimas, ad aures admisisse videri voluissem, eorum, qui in orationibus iis, & potissimùm in postrema, nescio quid inesse, quod lectione non indignum sit, mihi persuadere ausi sunt. Quorum quidem benevolentissima oratio ubi in eam mentem gravissimè me impulit, ut de editione cogitarem: continuò circumspiciendum mihi viros eximios atq; præstantissimos duxi, quorum clarissimo nomini, hoc quicquid est, laborum meorum, inscriberem Vehementer enim *auctoris illius* h dictum probo, *qui templa quidem diis consecranda; viros verò eximios dedicatione librorum honorandos censuit*. Dum igitur tale quid paro atq; meditor

h Aristidis: τοὺς μὲν νεὼς τοῖς θεοῖς προσήκει καθιεροῦν, τοὺς δὲ ἄνδρας τοὺς ἐλλογίμους τῇ τῶν βιβλίων ἀναθέσει τιμᾶν.

meditor, ſtatim veſtri recordari incipio, *Viri Nobiliſsimi atq; Ampliſsimi*, ſi unquam tamen recordari eorum poſſumus, quos nunquam non memoriâ tenemus. *Vobis*, inquam, deberi à me hoc officium, *Vobis* habendum hunc honorem, tam manifeſtò cognovi, ut ſi oculis viderim. Cauſa rei non una. Primùm ea veſtra eſt, non magis propter nobiliſſimi generis ſplendorem, quàm propter ſingularem pietatem fortitudinem, doctrinam, ornamentaq; cætera maxima, amplitudo & dignatio, ut nemo eos, qui *de communi* præclarè merentur, colendos ac ſuſpiciendos ſtatuat, quin ſimul vos maximè obſervandos intelligat, quorum officiis noſtra hæc *Sileſia* devinctam ſe eſſe, non ſolùm confiteatur, ſed & gaudeat. Deinde cum hoc tanto honorum faſtigio, omnes eæ virtutes, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, & ad facilitatem, ita conjunctæ ſunt, ut iis verbis vos affari non dubitem, quibus ſuum *Atticum* compellat *Marcus Cicero*. i *Quid enim eſt elegantiâ veſtrâ dignius? quorum & vita & oratio conſecuta mihi videtur, difficillimam illam ſocietatem gravitatis cum humanitate.* Sed hæ cauſæ *Amplitudines veſtras* diligentiſſimè colendi communes mihi ſunt cum aliis. Præter quas, cum peculiarem quoq; & propriam habeam, ea quoq; peculiariter mihi attingenda fuerit.

i Lib. 3. de Legibus.

Quæ

Quænam verò illa? Singularis vester in me favor, singulariaq; exstant & plurima beneficia. Nam quâ favoris res est, Perspecti estis à me, toto animo de me, ac de meis ornamẽtis & commodis cogitare. Beneficiis verò vestris tam solidam, tamq; grandem â me, iniistis gratiam, ut jam ex *Plauto* k non minus, quàm modò ex *Tullio*, si vos pauculis immutatis vocibus alloquar, rectè ac ordine facturus mihi videar. *Profectò enim vos præcipuos ex omnibus* DEUS *voluit me magnificare: neq; id haut immerito vestro: nam me, Christe, præcipui benefactis vestris me florentem facitis.* Quid multis? Sine fuco ac fallaciis, more majorum hoc dico: Ea diecula, quâ primùm *in vestram* summorum clarissimorumq; hominum, *parvissimus* l ego & propè indignus, *notitiam ac benevolentiam insinuavi*, ea, inquam, diecula mihi, nescio quomodo, multorum dierum instar, immò multis diebus gratior atq; jucundior & ad variarum utilitatum fructum profectò accommodatior, semper mihi visa est. Quanquam verò illa vestra adversus me benevolentia, atq; hæc universa promerita tanta sunt, ut si plus etiam, quam possum, contendero, nullam eorum partem adsequar: quia tamen, ut ait *Cicero*, n *Bonus vir, etiamsi referre gratiam non potest, habere certè potest*: intelligo scilicet, animum meum & beneficiorum memorem,

k Menæchmis Act. 2. scen. 3.

l Vox Lucretio, Varroni, aliis usurpata. Videatur Pontanus volum. 1. Progymn. 7.

m Plautus Cistell. Act. 1. sc. 1. Inde in amicitiam insinuavit.

n lib. 2. Offic.

morem,& eorum,à quibus illa profecta, observantem, quacunq; ratione mihi declarandum esse. Idq; ipsum agit, id spectat, id sequitur, *ista oratiuncularum mearum oblatio, nobilissimoq; vestro nomini inscriptio*: quam uti vos æqui boniq; facere nimium quantum cupio: ita in posterum *Magnificæ vestræ Amplitudini & dignitati*, me & mea submissè commendo, de nullâ re magis lætaturus, quam si unquam hoc effecero, ut, *summi viri*, de me optimè vos esse meritos, lætemini. Valete, *Viri Fautoresq; magni*, & non mihi magis, quâm publico bono, inter nos diurnatæ. Perscribebam hæc *Breslæ*, An. Christ. cIɔ Iɔ CXXVI. *Die*, ut vocant, *viridium*, qui incidebat in *V. Idus Apriles*: *qui dies* ante ipsos CCCLXXV. annos, ob *Henrici Pii Ducis Illustrissimi Fortissimiq;* in atrocissimâ cum *Tartaris* ad *Lignicium* pugnâ necem, *Silesiis* nostris luctuosior id temporis exstiterit, an in posterum gloriosior evaserit, ambiguum est.

VVV. Magnif. & Nobiliss.
Amplitudinum
Observantissimus studiosissimusq; Cliens.

M. Elias Major Vratislaviensis,
In Gymnasio Patrio Historiarum Professor.

Lectori

Lectori S.

IRrepsére inter imprimendum ERRATA non pauca: ex quibus maximè enormia annotare libet, quæ pro tuo candore corriges. Pag. 6, circa finem, lege, *ſuo quoq; ſuffragio.* pag. 11. & 48. in margine, *ſched.* pag. 17. lineâ primâ extremâ, *iſthæc.* Ibidem, lin. 3. *eluceſcit.* pag. 24. verſu, qui præcedit antepenultimũ, *Serius.* pag. 25. verſu 1. *feriens* & verſu 2. *monuiſſe.* & lin. 7. *committantur.* ibid. circa medium, ἄφθονοι. pag. 27. lin. 11. *inſtituendum.* Ibidem, è regione eorum verborum, *Ita enim existimare,* &c. in margine adſcribenda *nota numeri V.* ibid. lin. ult. delenda particula *ut.* pag. 29. lin. 1. *juveni.* Et lin. 15. *infeſtentur.* Et lin. 17. *Lacedæmonios.* pag. 33. lin. 14. deleatur præpoſitio *de.* lin. 16. deleatur ſyllaba inutilis *ge.* pag. 36. circa finem, poſt τὸ *Rhetoricorum* omiſſæ duæ voces annotentur, *ad Herennium.* pag. 38. lin. 4. *ſolet.* pag. 39. lineâ antepenultimâ deleatur præpoſitio, *in.* pag. 41. lin. 2. lege, *Medos debellaſſet.* lin. 18. unam vocem *admodum,* dirime in duas *ad modum.* pag. 42. lin. 9. lege, *petita.* Ibid. in margine extremo, *Videantur.* pag. 43. lin. 22. *Collegit.* pag. 45. lineâ antepenult. *non* pag. 46. lin. 12. *dubitaverint.* pag. 48. lin. 14. *ſcripſit.* & lin. penult. *quos.* pag. 49. lin. 1. *eum.* pag. 50. lin. 3. *lanam.* Et lineâ antepenult. *innuere.* pag. 51. lin.

12. com-

12, *commoratio*. Et lin. 15. *ipse*. pag. 52. lin. 3. & 4. *auctore lata*. Et lin. 9. *conservaverant*. Et lin. 11. *fugâ*. Et lin. antepen. deleatur conjunctio *&*. pag. 54. lin. 9. lege, *satietatem*. pag. 58. lin. ult. *Magorum*. pag. 61. lin. 17. *esto*. pag 62. lin. 6. *illud*. Et lin. 9. πολλάκις. pag. 63. lin. 6. *salvificæ*. pag. 64. lin. 21. *temulentiam*. pag. 65. lin. 20. & 21. *rationis*. Et lin. 24. *dixerat*. pag. 68. lin 11 *moris*. Et lin. 12. *aliquod in nostræ*. pag. 70. lin. antepen. *hostibus*. pag. 73. lin. 4. *concreditâ*. pag. 78 lin. 12. & 13. *deprimit*. pag. 79. lin. 18. ex duabus vocibus *de mentibus*, unam effice *dementibus*. pag. 81. lin. 1. pro dimidiatâ voce *centum*, lege *scentum*. pag. 84. lin. 9. lege *longævam*. pag. 91. lin. 17. *candidatis*. pag. 93. lin. 14. *alia*. Et lin. 21. *solent*. pag. 96. lin. 7. *ille*. Et lin. 11. *anni*, & lin. 13. *Quod*. pag. 98. lineâ quæ antepenultimam præcedit, deleatur verbũ *fuit*. pag. 99. in primo versu Taubmanni, lege, *Macti*. pag. 100. lin. 20. *quiqui*. Et lin. quæ antepenultimam præcedit, *magnarumq́*. pag. 101. lin. 14. *Qui*. pag. 103. lin. 6. *adjiciens*. pag 108. lin. 7. ἐξέλῃς τῦ βίȣ τὰς. Et lin. 15. post τὸ *abstulisti*, hæc omissa verba reponantur; *sicut diei si Solem, lucem abstulisti*. pag. 110. lin. 13. pro *aut*, lege *ut*. pag. 111. lin. 2. *Nobilissimis*. Et lin. 5. *Clarissimus* pag. 113. lin. 5. *stuporem*. Et lin. 10. *Magnificus*. pag. 114. lin. 1. *inspectionis*. ibid. in margine, *Taubmani*. pag. 117. lin 8. *ædificii*. pag 118. lin. antepenult. *manifestius*. p. 121. lin. 5.

lin,5. *annum*. ibid. ad marginem, *Videatur*. Et lin. 6. hoc signum † verbo *attribuit* statim subjungendum. pag. 124. lin. 21. lege *Neidan*. pag. 125. lin. 2. *David*. Ibid. *Tobias*. Et lin. 17. *Jeremias VVigandus*. lin. 19. *Tostius*. lin. quæ præcedit antepenultimam, *morientes*. pag. 126. lin. 10. *defunctos*, pag. 127. lin. 19. *Pelasgus Leti*. pag. 129. lin. 17. *picra*. ibid. in margine extremo, *Epistol*. pag. 130. lin. 15. *devictis*. pag. 133. lin. 2. lege *Mosaicum*. Namq; ita per Synthesin Grãmaticorum, nobilissimis auctorum frequentatam, dicere malui. pag. 137, lin. 5. *Nos*. pag. 138. lin. 5. *felicem*.. Et lin. 11. *Sisyphium*. pag. 140. lin. 11. *exaggeranda*. Et lin. 23. *Magistratum*, pag. 141. lin. 6. *Principibus*. Passim etiam in commatibus cæterisq́; distinctionibus, vel omissis, vel perperam adhibitis permutatisvê erratum est: ut & quandoq; litteræ, ut vocant, majusculæ pro minoribus, aut contrâ, adhibitæ: quæ minuta omnia hîc notare non duxi operæ precium; tuæ, Lector, prudentiæ id permissum sit; quem, ne longior sim, etiam atque etiam valere cupio.

M. ELIÆ MAIORIS,

De Prçceptorum Officiis,

ORATIO INTRODVCTORIA,

Habita Vratislaviæ 21. Maji,
M. DC. XV.

CVm mihi, *Auditores*, aliquid hoc tempore, quo *supremi ac præpotentis Numinis* benignitate, suffragijsq; *Amplissimi & Magnificentissimi Senatus nostri*, ex almâ *Vitebergensium Academiâ* in patriam legitimè vocatus, provinciam scholasticam in *Elisabethico hoc gymnasio* multis ab annis celeberrimo, suscepi, dicendum esse intelligerem; primò omnium, vt fit, materiam aptam, de quâ verba in consessu vestro frequentissimo facerem, inquirendam duxi. Illius verò sive inventio, sive è maximâ dicendarum rerum copiâ, selęctio, adeò non fuit difficilis, ut potiùs spontè

argumentum ejúſmodi differendi meô judicio commodiſsimum, ſe mihi obtulerit. Quibus enim cogitationibus cùm ſemper, tum potiſsimùm ſub initia muneris hujus adeundi, maximè omnium occupati eſſe debemus, eas, ſi & in litteras referrem, & in præſentiâ perſpicuô magis, quàm ſplendido ſermonis genere exponerem, nihil alieni ab officio putavi me facturum: præſertim, *cùm ea fortius mentibus noſtris imprimamus, quæ tùm calamo adhibito, & quâdam ſtili exercitatione meditamur, tum ſermonis beneficio cum aliis conferimus.* Iam verò quid ille, qui ludis litterariis operam addicturus eſt ſuam, aût cogitabit aptiùs, aût loquetur meliùs, quàm quæ ad officium hoc laudabiliter & fructuosè capeſſendum exſequendúmq́; momenti plurimum videntur afferre? *Ea nempe provinciæ iſtius, quæ in erudiendis puerorum animis verſatur, eſt ratio, vt quantumvis vulgò non modò contempta, ſed & miſerrima judicetur; in eâ nihilominus omnium vitæ generum vel ſalus, vel exitium verti, veriſsimè credatur. Quemadmodum enim fundamentum Reipub. eſt recta juventutis inſtitutio*: ita corruptis pueritiæ moribus, corrumpi civitatum decus, Eccleſiarum florem marceſcere,

re, curiarum dignitatem peſſum ire, familiarum deniq; proſperitatem imminui extinguiq́; neceſſe eſt. Quæ conſideratio eò maximè ſpectat, ut appareat, quàm & difficilem, & arduam provinciam ſuſtineamus, qui in ſcholis teneras adoleſcentiæ mentes formamus; quantuſq́; theſaurus, & quàm nobile talentum, Reipub. nimirum, adeoq́; totius humanæ ſocietatis ſeminariũm, fidei noſtræ commiſſum ſit: quà tandẽ & *ſcientiâ & conſcientiâ* ea, quæ noſtrarũ ſunt partium, perficere debeamus, ut non modò Deo & magiſtratibus, ſed & iis ipſis aliquando, qui inſtitutioni noſtræ fuêre concrediti, diligentiam fidelitatemq́; noſtram, probare queamus. Quomodo autẽ hoc fieri poſsit quàm rectiſsimè & quo animo conſilioq́; labores ſcholaſticos non modò ſuſcipere, ſed etiam continuare, primæ ętatis magiſter debeat, ut & cõſcientiæ ſuæ, & commodo pueritię, & incremento Reipub. quantum fieri poteſt, conſulat, brevi nunc oratiunculâ indicare veriùs, quàm enarrare decrevi. Quod quidem inſtitutum meum ita nolim, à vobis pręcipuè accipi, qui *ſaxum hoc* per plures jam annos in his ſpaciis † *volvitis*, quaſi ego demùm

† Erasmus Adagiis pag. aut 471.

aut docere vos, aut admonere ea cupiam, quæ hactenus non ſine laude & fructu ſingulari præſtitiſtis, & etiamnum præſtatis. Eò enim ſi tenderem, profectò quis non immeritò mihi illud, *Sus Minervam*,† accineret, Quin potiùs totâ de re ita velim arbitremini: Quod in hac florentiſſima corona peroro, in eo quidem *laudabili conſuetudini huius Gymnaſii* ſatisfaciendum fuit: quod verò de hac, quam innui, materiâ, verba habeo, in eo mihi potiſsimùm *aratur & ſeritur*.* Vt enim, qui regni principatusúe alius adminiſtrationem obit, rem omninò ſe dignam facit, ſi quæ Regem Principemúe, in ditionis ſuæ gubernatione deceant, diligenti ſtudio inquirit & præcognoſcit: Ita ſi mihi quoq;, inter initia inprimis *muneris huius litterarii, quod ipſum regno proximum* appellare non eſt veritus *Eraſmus*,† de iis & ſeriò cogitandum, & libenter loquendum cenſui, ſine quibus recta & felix infantiæ educatio in humanitatis officinis cõſiſtere non poteſt: quis tandẽ hoc animi noſtri cõſultum jure reprehendet? Ergò ut rem accedamus propiùs, qualis adoleſcentum litteris imbuendorum inſpector moderatorq; eſſe debeat, *duobus* videtur *modis*, pro diver-

† Idem ibidem p. 37.

* Plautus Mercat. Act. 1. Sc. 1. v. 71.

† In Epiſt. ad Iohan. Sapidum.

diverſitate temporis, quæri poſſe. Etenim *aut eligendus eſt* adhuc pędotriba, *aut jam electus eſt. Si adhuc aſciſcendus*, quis neſcit, requiri in eo plurima quidem, nihil tamen magis, quâm duo hæc, *eruditionem, & vitam inculpatam: illam* quidem, ut, quæ aliis traditurus eſt, ipſe calleat, ne audiat meritò, quod in verſu pervulgato dicitur:

Quodq; parum novit, nemo docere poteſt.

Hanc verò, ut honeſtis moribus, laudabiliq; exemplo pręeat, & quaſi præluceat diſcentibus, & eoſdem (ut fervor ille ętatis ſępè ebullit) exorbitantes reprehendere, caſtigareq; ſine rubore queat.

Hęc verò cura, cum magiſtratus, & eorum ſit propria, quibus jus eſt idoneas perſonas ad functiones publicas accerſere, nihil hoc in loco amplius eâ de parte dicimus; ſed illud magis penſi habemus, quomodo *magiſter juventuti jam præfectus*, vitam, mores, actioneſq; ſuas inſtituere debeat, vt officio, quod gerit, dignè atq; utiliter pręfuiſſe videatur: idq; nunc remotis omnibus pluriũ verborũ remoris aut ambagibus, ſtrictim docebimus.

Principiò quoniam *omnes in univerſitate hac rerum creaturæ, ſicut originem ſuam & prima eſſendi initia à Deo, causâ illâ efficientiſſimâ* I.

trahunt, ita in eum, tanquam scopum ac finem supremum debent respicere: nihil ludimagistro magis videtur necessarium, quàm *pietatis, ejusq; cultus, quo cœleste ac æternum Numen veneramur, studium*. Cujus virtutis possessio quamvis nulli non mortalium modis omnibus exoptanda sit & investiganda, propterea, quòd *Apostolorum Principe* † atteſtante, *pietas ad omnia conducat, promissionem in se continens, non modò terrestrium & caducorum bonorum, verùm etiam cœlestis vereq; diurnantis beatitudinis*: tamen peculiari quodam jure ad eos, qui tot non corporum, sed animorum parentes esse, totq; cives Christo ac politiis educare debent, pertinet vitæ sanctimonia, Deiq; reverentia. Hanc enim & *regalis ille Psaltes Davides*, * & hujus filius *sapientum sapientissimus* Salomon, † hoc nomine commendant, quod *sapientiæ sit initium*. Quibus suo quod suffragio astipulatur *καλοκαγαθίας præceptor solertissimus Siracides, Ad veram*, inquiens,* *doctrinam requiritur cognitio Dei, & tum Deus impertit gratiam*. Ante omnia igitur sanas, & cœlitus patefactis scripturæ oraculis consentaneas sententias, de supernâ illâ atq; omnipotenti mente, ejusdemq; voluntate & legi-

† 1. Tim. 4. v. 8.

* Psal. 111. v. 10.

† Proverb. 1. v. 4. & cap. 9. v. 10.

* cap 15. v. 10.

legibus foveat, qui juvenes disciplinis ad benè beateq; vivendum necessariis instituere sedulò cogitat.

Non enim modò summo sceleri ac turpitudini proximum, sed cum singulari etiam pubis imprudentis periculo conjunctum est, haberi probitatis sanctimoniæq; pręceptorem eum, qui profanitatis tandem & corruptelarum magister invenitur. Nec *ille in fabulis* imitandus est, qui in prelium proficiscens Numinis opem non implorabat, sine Deo se vincere posse admodùm insolenter, aut potiùs impiè scelesteq; jactitans: *Varronis* rectiùs vestigia, quantum fas & jura nostra Christiana sinunt, sequenda statuamus, cujus hęc est in de re rusticâ commentationibus oratio:* *Quoniam, ut ajunt, Dii facientes adjuvant, prius invocabo Deos.* Nimirùm quod nos ex clarissima divinissimarum scripturarum luce in, dubitatò tenemus cognitum, id ipsi etiam saniores Ethnici è naturæ quibusdam scintillulis, licet multifariam obscuratis, *quantum humanitùs fieri poterat, intelligebant, omnem felicitatem & esse à Deo, & ab eo mortalibus exorandam.*

*lib. I. de R. R.

Vide Erasm. Adag. p. 198.

Hinc illud apud humanæ ſapientiæ Oceanum *Homerum*: a Πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι, hoc eſt, interpretante *litteratorum Phœnice* b *Eraſmo*; c

Mortalis divûm auxilium deſiderat omnis.

Et apud *Pindarum*: d πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον, οἵ τε πόνων ἐγεύσαντο, σὺν θεοῦ δὲ τύχῃ, id eſt, *eodem* e vertente, *Ad ſummum virtutis apicem pervenerunt, qui guſtarunt labores, non autem ſine Dei fortunâ.* Laborum meminit, at bonum eventum non laboribus, ſed divinæ gratiæ actiones humanas fortunāti aſſcribit: ut parum abeſſe gentilis hic Poeta à Doctore gentium *Paulo* f videatur, qui in hanc ſententiam ita loquitur: *Paulus plantavit, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Quæ cùm ita ſint, meminerit id fidelis puerorum doctor, quod ſine gravi culpa oblivîſci non poteſt: omne quidem ſibi impendendum & ſtudium & operam, dum (ut cum *Iuvenale* g dicam)

——— *mores pueri ceu pollice ducit,*
Vt ſi quis cerâ vultum facit:

Fructum autem ſuorum conaminum, & profectum diſcentium, Immortalis Beniġniſsimiq; Dei benedictioni acceptum piè referat. Hæc enim eſt, quæ docentium lin-

a) Odyſſ. γ.
b) Martinus Dorpius in quadam Epiſtolâ ſic appellat Eraſmum.
c) Adagiis p. 824.
d) in Neme.
e) Adagiis p. 416.
f) 1. Cor. 3. v. 6.
g) Satyr. 7. Vide Eraſm. Adag. p. 495.

linguas gubernat, authoritatemq; defensat: hæc est, quæ auditorum mentes excitat, intellectum corroborat, memoriam vegetat, stilum moderatur, & quottidianis accessionibus, quibusdamq; velut occultis augmentis, scientiam ac eruditionem promovet. Hæc si cœptis tuis, quisquis es, non aspiraverit, ecce non dico, sed confidenter proclamo; Labora, nitere, suda, quàm potes maximè, & in pulvere scholastico à mane ad vesperam, ad lassitudinem usq; te voluta: nihil tamen omnibus tuis vigiliis, conatibus, defatigationibusq; efficies, quàm ille, qui secundum prouerbium,

Non profecturis littora bobus arat.

Verissimum enim est, quod *Nostræ Germaniæ Philomela*, carmine illo pervulgato quidem, non tamen eapropter prętermittendo, cecinit,

Nullius est felix conatus & utilis unquam,
Consilium si non detq; juvetq; Deus.

Hunc ergo Patrem Opt. Max. justo cultu quottidiè veneretur, quisquis pubis litterariæ salute atq; commodis *ex animi sententia* afficitur: hunc supplici prece adoret, ut cœlesti Spiritus sancti regimine, & qui docent, & qui discunt, ducat, laboresq;

resq; & exercitationes, & quæ alia ad fortunatam *parvorum Quiritium* informationem plurimum valent, juvētuti fructuosa, Ecclesiæ, foro, œconomiisq; salutaria, suo verò Nomini inprimis gloriosa, pro divino suo & plusquam paterno favore efficiat. Quod si tam votorum frequentium, quàm continuatarum operarum fructus non contemnendus in eorum profectibus, qui instituuntur, animadvertitur. gratias memori ex pectore persolvat Menti immortali ac Omnipotenti, meritisq; laudibus nomen ejus in sęcula celebrandum prosequatur. Hoc pietatis studiū & in se laudabile est, quod auctorem, & quasi fontem felicitatis agnoscit ac prædicat; & insuper ingentem quandam ac commemorabilem utilitatem affert. Non insolentes sunt nostri ordinis hominum querelæ, de laboribus iis, quos numero plurimos, mole gravissimos exhaurire oporteat, qui institutum hoc vitæ scholasticum sequuntur. Neq; illæ prorsus sunt de nihilo: Malitiæ enim stirpes eradicare, humanitàtisq; semina inserere agris juvenilium cordium, quâm difficile sit atq; onerosūm, quilibet mēte præditus nullo negocio potest perspicere. Hi verò labores molestięq; assiduę, mirū quâm alle-

allevantur, & dimidiâ quaſi portione ſecundum *Germanorum proverbium*;* minuuntur, ſi quis ritè Deum precatus fuerit. ut facilè hinc innoteſcat, ipſum cardinem optabilium in litteris ac ſtudiis incrementorũ in hac ſanctimoniâ & divino cultu verti maximè, ejuſdemq́;, ante omnia, rationẽ à pędagogo habendam eſſe, quâ de parte cùm ſatis verborum protulerimus, videamus jam porrò cętera, Auditores, ut intelligatur, quàm multa ad officium hoc arduum pertineant.

*Wol gebetet/ iſt halb ſtudiret. Taubman. Sced. p.200. Qui cum profectu vis diſcere, diſce precari. Dimidium facti ritè precatus habet,

II. Qui enim pueritiæ præſunt, meminerint, ſe *quaſi alteros parentes*, pubem ſibi concreditam, eo *amore ac benevolentiâ*, quâ ex ſeſe progenitos charos habent, aut haberent, *debere proſequi*. Hic affectus pręceptoris erga diſcipulos adeò eſt neceſſarius, ut ſine eò inſtitutio nec ſeria eſſe, nec optatũ ſuum finem poſſit conſequi: Cùm enim duo earum rerum ſint genera, quas in his vitæ occupationibus ſoleamus exequi, quędam res propriæ, quędam alienæ: fieri cõſuevit, ut proprias quidẽ, quâ poſſumus curâ ac diligentiâ tractemus, eas verò, quarum vel poſſeſſio, vel fructus ad alios ſpectat, niſi ſincero è pectore diligamus, tantâ fide atq; induſtriâ nulli expediamus.

Jam

Iam verò alieni magnam partem ſunt, qui in phrontiſteriis iſtis excolendi nobis traduntur: nihilominus tamen eâ, quæ maxima eſſe poteſt, ſolertiâ ac ſedulitate, eos informari, & muneris ipſius ſanctitas flagitat, & omnes boni non tàm cupiunt, quàm cum fiducia quadam de nobis perſuaſiſsimum habent.

Quid igitur reſtat, niſi ut adoleſcentum ephorus ferventiſsimâ charitate ſuos complectatur tirones, nihilq; in vitâ hac magis expetat, quàm eorundem felices in pietatis, morum, doctrinæq; curriculo progreſſus. Hęc affectio, & prolixus in pubem animus, ſi nōdum quis intelligit, quantum valeat, ille magiſtrum aliquem, qui vel amore juventutis careat, vel inſuper odio ejuſdē flagret, mente ſibi concipiat; & ex adverſa ratione, quid judicandum ſit, percipiet. Invitò enim is informet, qui ſine dilectionis ardore informat, neceſſe eſt. *Stultitia verò eſt*, ſecundum *Plautum*,† *venatum educere invitas canes*. Quod ſi maligna illa atq; odioſa animi perturbatio prętereà acceſſerit, nemo non videt, eum, quem oderis, docere velle, haud eſſe aliud, quàm aut evulſis pennis volare, aut nervis inciſis ambulare,

† 5. Stich. A. 1. S. 2.

aut remis confractis navigare velle. Si igitur id solummodò amicâ voluntate propensioneq; ludimoderatorum efficeretur, ut sedulò atq; accuratè *Spartam, quam nacti sunt, ornent*: satis causæ esset, cur benevolentiæ, quàm fieri potest maximè studeant, qui disciplinarum magna fieri operę precia apud juvenes exoptāt. Cùm verò & plura alia sint, & admodùm fructuosa, quæ per illam humanitatem docentium quęri ac obtineri possunt, quæ tandem inclinatio animi affectioq; magis juventutis duces decebit, quàm quâ ad res gratißimas atq; jucundißimas ferimur? Cujus enim mens adeò peregrinatur, neq; in tam pervulgatâ omnium sapientum opinione versatur, ut ignoret, quam vim στοργαὶ illæ parentum pectoribus, naturæ velut manu, immissæ atq; insitæ habent, eandem in virtute magistrorum mitium, ac flori puerili benè cupientium, sese non obscurè exerere? Magnæ sunt, & difficiles, & diuturnæ molestiæ, solicitudines, defatigationes, quæ in educandâ sobole exhauriunt, qui genuerunt. Illas autem non modò ex officio nęcessariò tolerant, sed & cum dulcedine quadam & delectatione libenter subeunt.

Quid

Quid ita? Triſtitiam hanc,& quicquid in prolis enutricatione,amaritudinis eſt,exſuperat,& tanquam exſorbet, qui ſecundum Poëtarum ſolem *Virgilium*.* *Omnia vincit* AMOR. Similima noſtri, qui juvenum animos fingimus, eſt ratio. Quid enim eſt, quod litterarum profeſſorem ita movet, ut ſcholaſticum ſudorem magnâ cum lubentiâ ſuſcipiat & ſuſtineat, operaſq; ſuas per dies, ſeptimanas, menſes, annos, (quæ tempora ad prȩclara magis aut ſplēdidiora cognoſcendum, meliùs, certè jucundiùs, collocari videantur) continuare non horreat? *Amor erga diſcipulos.* Quid in causâ eſt, qvod eundem non pudeat tandem, tam tenuia, &, ut vulgò habentur, nugalia ac ridicula, qualia in primis legendi elementis, in vocum inclinamentis atq; flexionibus. in aliis deniq; Grammaticarum partium officiis, occurrunt, reluctanti inculcare pueritiæ? *Amor erga diſcipulos.* Quid faſtidium illud in ſe ſatis tædioſum, eadem iiſdem repetendi ſemper, & *ſiſyphium* quaſi *lapidem volvendi & revolvendi*, mitigat aut tollit? *Amor erga diſcipulos.* Sed quid de iis emolumentis, quæ magiſtri ſuâ ſibi humanitate pariunt, loquor? an non magnus & expetendus fru-

* Eclog. 10

fructus ad ipsos adolescentes quoq; studiis deditos, eodem ex fonte redundat? Hi enim cùm animadvertunt (animadvertere autem ex multis indiciis fafacilè possunt, quandoquidem *amor, ut & tussis atq; ignis occultari nequeunt)* amari se, & *velut in sinu ferri*,† à preceptoribus; fieri non potest, quin flammâ mutuâ, pariq; charitate in eosdem, incalescant, & ad omne observantiæ genus exhibendum exuscitentur.

† Vide Erasmum Adagio: Capite gestare, pag. 973. &, Oculis ferre, pag. 1071.

Acerrimus ille, magnitudineq; animi prestantissimus Rex, *Alexander Magnus*, * adolescentiæ suæ magistrum ac moderatorem *Aristotelem*, nullo non & amore & honore prosequebatur. Quod fortè facturus non fuisset, nisi summâ dilectione cultum se eo tempore, quo à preceptore benè vivendi initia accipiebat, memoriâ tenuisset. Quemadmodum nec *Achillis* fortissimum pectus tanto amoris incendio flagrare potuisse suum erga doctorem crediderim, si illum morosum, infestumq;, & non potius mitem, humanum, comissimumq; expertus fuisset. Jam verò de illo suavissimis versiculis *Ovidius* † ita canit:

* Vide Erasm. l. 4. Apoph

† lib. 5. Fastor.

Sta-

Stabat ut ante patrem lachrymis perfusus Achil-
Sic flendus Peleus, si moreretur, erat. (*les,*
Sæpe manus ægras manibus mulcebat amicis;
Morum quos fecit præmia doctor habet.
Oscula sæpe dedit, dixit quoq; sæpe jacenti:
Vive precor, nec me chare relinque pater.

Non dicam brevitatis gratiâ, amorem ac venerantiam magistrorum, comitari quoq; in discentibus amorem ac cupiditatem percipiendarum artium. Quod quàm magnum sit & salutare, tum *prover-* † apud Erasm. p. 937. *bium illud* † docet, μουσικὴν ἔρως διδάσκει: tum apud divinum *Platonem Socrates* admonuit, quando *animam nostram corpori immersam & dormitantem veluti, amore tanquam stimulo quodam excitari, atq; ad honesta cognoscenda agendaq; rapi, tradit.* Quod ergo * lib. 2. Offic. *Cicero* * alicubi scripsit, id sibi etiam dictum putent, qui ęvum rude ad illa, ut *Lucretius* loquitur,

Edita doctrinæ sapientum tecta - -

ducunt: *Malus est custos diuturnitatis metus: contraq; benevolentia fidelis est ad perpetuitatem; id igitur amplectamur, ut metus absit, cha-* III. *ritas retineatur.* Ex quo præcepto aliud quoddam eorum officiũ, qui ad clavum, ut ita loquar, scholarum sedent, emergit. Cùm enim metus in tironibus ex sęvitia

pręce-

prępceptorum oriatur, ſęvitia verò ſthæc ſoboles ſit & propago *iracundiæ*, citò hinc ęluceſcit, *affectum hunc turbulentum*, quem, quod *ab inſaniâ*, *Catone*† teſte, *nulla aliâ re differat, quàm morâ temporis, Horatius* * *furorem brevem* dixit: procul ab eo eſſe debere, cujus eſt humanis diſciplinis mores incultos emollire. Quid enim bilioſi iſtiuſmodi rigore ſuo efficiunt aliud, quâm ut ætatem rudem & incultam, ſed doctrinæ virtutumq; bonis inſtruendam, & à ludis, & à dulcedine, quam ignorat adhuc artium abigant, aut, qui in diſcentium numero manent, formidulofos, & ad quemvis aſpectum trucem attonitos reddant? Manſueti proinde ſint atq; mites, quibus juventæ inſpectio atq; gubernatio commiſſa eſt, & cum *Fabio illo Maximo*† *abſurdum* putent, *cum equos ac canes cibò rectiùs applauſuq;, quàm vinculis aut plagis cicurari domariq; videamus, hominum ferocientium mores irâ potius atq; aſperitate, quàm lenitudine corrigere velle aut flectere.* Quâ in re ut omni errore ſublato planiùs eluceſcat, quàm vel ſupervacanea, vel indigna præceptore ſit excandeſcentia, ita paucis placet philoſophari, *Aut* enim quod ſui eſt muneris juventus *efficit* laudabili-

† Eraſm. l. 5. Apophth.

* l. 1. Epiſt. 2.

† Eraſm. l. 5. Apopht.

B ter,

ter, *aut* idem *negligit* malè. *Si id*, quod adolescentes probos & diligentes addecet, *facit*, & magistrorum *præcepta sarta tectâ usq; habet suâ modestiâ*, *quis succenseat? An non immane & prodigio similimum foret, *in fermento*, ut cùm *Plauto* † loquar, *jacere* magistrum, cùm discipulos tàm obsequentes, tàm officii memores, oculis ferre, laudibusq; afficere & excitare deberet? *Sed si quid ab honestate aut sedulitate alienum*, ut fieri solet quamplurimùm, *committitur* ab adolescentiâ, an non tùm justum sit, aut etiam necessarium in delicta puerilia effervescere, fortè aliquis quęsiverit. Respondebo distinctè, si priùs hoc interjecero, me oratione isthac non huc ire, ut omnem è gymnasiis disciplinam exterminatam, omnem petulantis ævi malitiam impunitam cupiam. *Toto cælo errat*, ita qui de nostro instituto sentit. *Iracundiam* sublatam volumus, *conniventiam* non introducimus: *Sævitiam* detestamur, *severitatem* postulamus: & *tyrannicam formidinem* exulare, *paternam reverentiam* habitare, in his virtutum doctrinarumq; officinis expetimus. Nimirum *aliud* est *corrigere*, *aliud frangere*, & *castigare aliud*, *aliudq; exanimare*: possuntq; puni-

*Plaut. Trinum. A.2 S.2. v.36,
† Mercat. Act.5. Sc.3,

puniri delinquentes, si vel maximè mitis sit, nec *labra* (ut in *proverbiis* † est) *mordeat*, qui punit. Ut vel hinc appareat, quàm parùm idonei sint ad gubernanda juvenilia studia illi sive cholerici, sive biliosi, quibus ad levissimum quodq; erratum, aut ignorantiam etiam inaffectatā pueritiæ, *ira mentem non modo emigrare cogit, sed prorsus velut domo excludit*,* Et agnovit hoc quondam in se *Philager* quidam, qui, cur juventutis informatione minùs delectaretur, interrogatus, *Quia*, inquit, *me ipso non delector*:† vitium suum innuens, quo ad asperitatem ac truculentiam naturâ trahebatur. Sed ne dilabamur longiùs, duplicia videntur esse delicta adolescentiæ: aut enim *negligentiâ* in discendo, aut *petulantiâ* in moribus atq; obsequiis peccant pueri. *Si illud* usu eveniat, ut vel intelligentiâ vel memoriâ non comprehenderint discentes, quæ ex præceptorum sententiâ capere jam debuissent; laudandum quidem id non duco, sed nec irascendum vehementiùs dico. Causæ multæ sunt. Primùm incredibilis est varietas ingeniorum.* Quidam adolescentium præstanti sunt indole, & quasi felici sidere ad literas nati, quos

† apud Erasm. p. 795.

* Vide Apophthegma Melanthii, apud Erasm. lib. 8.

† Erasm. ibidem.

* Senec. de ira lib. 1. c. 21. Sic inter utrumq; regẽdus est puer, ut modò frenis utamur, modò stimulis.

† Erasm. l. 8. Apopht.

θεῶν παῖδας appellare solitus est *Isocrates*.† Alii stupido & *quasi plumbeo cerebro* difficilimè ad præclararum artium cognitionem ducuntur. A quibus tam diversè affectis si eadem requiras, aut efflagites, *laterem laves*. Artifex aliquis ingentem quandam statuam, & multa in secula duraturam è ligno vitium si nitatur effingere, vidensq; rem fieri nullo posse modo ob materiæ fragilitatem, animo excandescat, ut *Adriâ iracundior* † videri possit:

*Erasm. Adag. 971.

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Stolido huiusmodi fabro haud immeritò similis censendus est *Demea* ille, aut *Orbilius* litterarius, qui puerum tardiore ingenio, & cui natura magis, quàm diligentia deest, si expeditè minùs, quæ memoriæ commendanda proferat, si voculam addat, omittat, transponat unicam, vultu tristi & minaci, tanquam *Medusæ objecto capite*, territat, aut etiam plagis & ferulis obruit, non cogitans, quod in vulgatissimo circumfertur diverbio: *Non ex quovis ligno fieri Mercurium*. Verùm ut hebetes istos faciamus missos, nec qui excellentissimi sunt ingenii (quid de mediocribus dicam, quorum pars maxima?) subitò arripere possunt omnia, quæ in palestris

ſtris diſciplinarum tradi ſolent. Ergò & hîc animo irato ac percito magiſtrum uſq; adeò non oportet eſſe, ut potiùs ſingulari prudentiâ tractare, & quantâ, citra autoritatis diſpendium fieri poteſt, humanitate fovere educareq; tam nobiles generis humani plantas ac propagines debeat. Quid enim? Vidiſtin' infantem aliquem adoleſcere? Creviſſe, inquis, vidi multos, creſcere neminem. Idem hîc ſtatue. *Primi profectus*, ajebat magnus ille *Roterodamus, non ſtatim apparent: Et aliæ res pecuniâ comparari queunt, diſciplinarum verò liberalium poſſeſſio, non niſi tempore emitur,* † quod *Metrocles* olim dicere ſolebat. Temporis igitur diuturnitas quædam hîc requiritur, non modò ut initia illa eruditionis paulatim adaugeantur, ſed & *judicium*, quod *anima eſt ſapientiæ*, corroboretur. Quæ ſi rectè perpendantur, potiùs patientiâ aut ſpe quadã, quàm iracundiâ hoc in negocio opus eſſe ludimoderatori, nemo nõ qui rectè res arbitrari velit, videbit. *Quò quiſq; eſt ſolertior*, ſcribit eloquẽtiæ parens *Tullius*,* *& ingenioſior, eò docet iracundiùs & laborioſiùs: Quod enim ipſe celeriter arripuit, id cùm tardè percipi videt, diſcruciatur*. Verùm cru-

† Eraſm. l.7. Apopht.

* pro Roſc. Comœdo.

ciatus iste inanis est & frustraneus, & quo juventuti parùm consulitur. Quotusquisq; enim tàm fortunatus fuit, ut ante annos judicio & prudentiâ precelluerit? Quod cùm ita sit, *rosas decerpi tempore, & omnia successione quâdam, non repentino impetu fieri, naturamq́, saltum non facere*, meminerimus, horumq; omnium memores toleremus, &, quantum possumus, emendemus, primæ etatis imperitiam atq; hæsitantiam. Eos autem, qui primis stat in annis, perfecta & absoluta omnia à juventute requirunt, ea autem non invenientes indignantur, & bile intumescunt, haud aliter facere existimemus, quàm si quis veris hujus omnium jucundissimæ horæ succenseat, quod flores magis & gramina, quàm maturos arborum fructus nunc producat. *De altero autem culpæ genere*, quod contumaciam & fervorem illum, quo extra officii limites non raró feruntur adolescentuli, complectitur, multa quidem essent, quæ afferri possent si temporis modò & loci ratio hoc pateretur fieri. Nam licet *immunis à pœnâ, non debeat esse is, qui animadversione digna designavit facinora*; magna tamen & accurata hîc, plurimas ob causas ac circumstantias, cautio requiritur.

tur. De quâ cùm nunc quidem plura adduci nequeant, id breviter *quasi utrâq; manu tenendum est: Feliciſſimam pulcherrimamq; pueritiæ regendæ rationem eſſe, quæ manſuetudine atq; humanitate juveniles impetus, vinculo quodam amabili cobibet:* † Sin coërcenda ſit improbitas ſeveriùs, punitionem illam ſine amaritudine; ſarcaſmis, unoq; verbo, ſine iracundiâ exercendam eſſe. Si enim *Architas & Plato*,* duo velut Sapientum lumina, ſervos & adultos jam, caſtigare noluerunt, cum bile ſe ſentirent incendi: quid de liberis hominibus, & ætatis immaturitati obnoxiis dicendum putabimus? Concludam hunc locum elegantiſſimis, & qui dictis noſtris auctoritatem & pondus concilient, verſibus Chriſtiani Poëtæ *Hieronymi Vidæ*,† qui de ea re ita cenſet:

Ille autem pueri cui credita cura colendi,
Artibus egregiis, inprimis optet amari,
Atq; odium chari ſuper omnia vitet alumni,
Ne fortè & ſacras ſimul oderit ille Camœnas.
Imprudens, & adhuc tantæ dulcedinis expers,
Deficiatq; animi ſtudiorum in limine primo.
Ponite crudeles iras, & flagra, magiſtri
Fœda miniſteria, atq; odiis abſiſtite acerbis.

† Terent. Adelph. A. I. S. I. Pudore ac liberalitate retinere liberos ſatiùs eſſe credo, quam metu.

* Valer. Max lib. 4. cap. I. Cicero 4. Tuſc. Laert. in vitâ Plat.

† lib. I. Poetic. v. 232. ſeqq.

Ne mihi ne, quæso, puerum quis verbera cogat
Dura pati: neq; enim lacrymas, aut dulcis alu-
Ferre queunt Musæ gemitus, ægræq; recedũt, (mni
Illiusq; cadunt animi, nec jam amplius audet
Sponte sua quicquã egregiũ, ingratumq; laborem
Invitus trahit ægrè: animoq; ad verbera durat.
Vidi ego qui semper levia ob commissa vocabat
Ad pœnam pueros, furiis insurgere & irâ
Terribilem, invisos veluti sæviret in hostes:
Hinc semper gemitus, hinc verbera dira sonabant.
Atq; equidem memini, cum formidatus iniquis
Vrgeret pœnis, solitoq; immanior ille
Terreret turbam invalidam, miserabile visu,
Fortè puer primâ signans nondum ora juventâ
Insignis facie ante alios, exegerat omnem
Cum sociis ludens lucem, oblitusq; timoris
Posthabuit ludo jussos ediscere versus.
Ecce furens animis multa increpat ille, minisq;
Insurgens sævo pavitantem territat ore
Horrendum, & loris dextram crudelibus armat,
Quo subito terrore puer miserabilis, acri
Corripitur morbo, parvo is pòst tempore vitam
Crescentem blandâ cœli sub luce reliquit.
Illum populifer Padus, illum serius imis,
Seriadesq; diu Nymphæ flevêre sub undis.
Tempore jam ex illo, vatem tum dura jubentem
Phœbigenam Alcides animo indignante peremit,
Vocali

Vocali invisam ferient testudine frontem
Debuerat sævos factum meminisse magistros.

IV.

Sed ut ad ea quæ restant, quæq; brevissimè attingemus, progrediamur, *bonam etiam fidem & candorem* in eo requirimus, cui laudabiliter ludorum liberalium committanrur gubernacula. Cùm enim, ut loquitur, quem supra quoq; laudavi, *Erasmus,*† *optimo præceptore dignum sit, alumni sui commodis & ornamentis impensiùs gaudere, quàm suis*: Odium illi justumq; vituperium merentur, qui ita discipulis suis præsunt, ut discipulos ipsos quàm diutissimè manere exoptent, *cane & angue pejus* execrantes illud, quod vulgò dicitur: πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.* Apage verò sis cum hoc livore ac infidelitate: illa placeat nobis sententia: ἄφθονοι μουσῶν θύραι, *Musarum fores invidentiæ expertes sunt.*† Et aperto candidoq; pectore sit, qui pueros erudit, eo affectu in turbam instituendam incitatus, ut, si *humaniter* fieri possit, universam scientiarum cognitionem, omnemq; honestatis & virtutum actionem, unâ dieculâ aut horulâ infundere atq; impertiri omnibus votis exoptet. Ejusmodi nempè informa-

Epistolâ nuncupatoriâ suorum Apopht.

*Cicero l.9. Famil. Epist. 7.

† Eras. Adag. pag.89.

toribus chariſſima ſua pignora parentes rectè & utiliter committunt, quorũ animus verè ſedulus eſt, & quibus cum *vel in tenebris* (quod dicebant veteres†) *micare liceat*: qui eruditionis ſuæ *theſaurum terrâ *defoſſum* non habent, ſed in lucem proferunt, & libenter fideliterq; ſuis cum auditoribus communicant, *Epicharméum ellogium* & ipſi à poſteritate obtenturi, *Pueris utilia dixêre*. Ac quandoquidem, ut eſt apud *Terentium*, *Nihil dictum, quod non dictum ſit prius*, eoſq;, qui nunc docent, ſuos etiam aliquando magiſtros tùm vocales, tùm mutos habuiſſe, à quibus profecerint, neceſſe ſit: fontes quoq;, è quibus in omni diſciplinarum genere, ſcientia hauriri commodè poteſt, monſtrandi & indicandi ſunt diſcentibus. Illi enim præceptorum, qui a ſcriptis & commentariis, ex quibus ipſi ſua petunt & mutuantur, auditores ducunt aut arcent, ſimillimi videntur pœdagogo cuidam Sybaritico, de quo eſt apud *Ælianum*.† Cùm enim puerulus, quem ducebat manu, ficum forte fortunâ inventam in viâ ſublaturus eſſet, acerbiſſimis quidem verbis in parvulum invectus eſt, ipſe verò ficum tulit, ac avidiſſimè devoravit.

† Eraſ. ibid. p. 269.

* ibid. p. 713.

† lib. 14.

Indi-

Indignum videtur, *Auditores*, ficum prçripere: & non flagitiosum sit, aditum ad doctrinarum nectaream dulcedinẽ prçcludere? Quamobrem hoc etiam memoriæ mandent institutores fidelissimi, nec prolixitate in docendo, ambagibusq; nõ necessariis, nec, ex parte diversâ, dispendiosis compendiis aut remoranda, aut impedienda esse discipulorum in studiis incrementa: nec rationem atq; modum docendi ita instituendam ut ostentandæ magis peritiæ magistri quâm adjuvandis discipulorum profectibus, inservire videatur. Quâ de re fortè plura in medium afferri possent, nisi promissæ brevitatis memores ad alia properaremus.

Ita enim existimare debemus, nullum esse tam magnum *laborem*, aut tàm solertem *industriam diligentiamq;*, quâ juvenile çvum ducere atq; gubernare eos non oporteat, ad quos curatio hæc pertinet. Qui somnolenti estis, & *mandragoram*, quod habent *proverbia*,† *bibistis*, procul ite, & ludos litterarios aliis regendos committite. *Ego*, inquit apud Oratorum principem Ciceronem, Antonius*, *si quem nunc planè rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam aßiduis, ut uno opere can-*

† apud Eras. p. 947.

* lib. 2. de Orat.

eandem incudem die noctúq; tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atq; omnia minima mansa, ut ajunt nutrices, infantibus pueris in os inserant. Nempè non modò multi sunt, qui nostrâ institutione in his officinis liberalibus opus habent, sed etiam diversi: quos nec sine prudentiâ, nec sine singulari curâ, nisu, & labore, rectè rexeris. *Quædam ingenia, inquit Seneca* † *facilia & expedita; quædam manu, ut ajunt, facienda sunt, Isocrates* id suis in auditoribus animadvertit: quorum cùm alter *Theopompus* indole vegetâ atq; alacri, alter verò *Ephorus*, leni & tardiuscula esset, illi *calcaria*, huic *frena* adhibere se dixit.* Idem hodieq; usu evenit: & puerorum quidam incitandi sunt ac impellendi, quidam, (licet rariores sint ejusmodi) cohibendi & retrahendi: quod sine incredibili labore posse fieri qui arbitratur, illi magnopere nunc quidem non resistimus, sed periculum tamen facere jubemus.

† in Epistolis. Vide Erasm. Adag. pag. 495.

* Erasm. l. 8. Apopht.

VI. Sed non tantùm innumerabiles labores exhauriendi sunt præceptori industrio, verùm etiam *multæ adversitates perpetiendæ* ac perferendæ: id quod de se quoq; commemorat *Phœnix*, qui apud

Home-

Homerum a) se à *Peleo* patre, *Achilli* juveni comitem datum dicit ad bellum, ut illum *efficeret oratorem verborum actoremq́ue rerum*, uti loquitur *Cicero* b) Nimirum incredibili hîc patientià opus est, & *æquo animo,qui*,ut est apud *Plautum* c) *optimum est ærumnæ condimentum*, mala illa atq; incommoda multiplicia,quæ hoc vitæ genus comitari consueverunt, toleranda sunt. Juventutem primùm ipsam aspice, & protérviam,vanitatem, ferociam, adde & ingratitudinem animadvertes: sordes enim illas pueritiæ, sudores, pedoresq; hîc taceo, qui sæpè in causâ, ut gravissimis malis investentur,qui in pulvere isto hæsêre diutiùs. Quid verò parentes? Apud *Lacedamonios* quidem pater ille malè audiebat, qui puerum suum ab alio castigatum, sed de illâ animadversione flebiliter quiritantem, denuò non corriperet: *d*) at apud nostros homines quam indignè multi ferunt, & quibus conviciis invehuntur in eos, qui filiorum improbitatem severiore emendatione corrigere instituerint? Non *Tragœdiam excitatam* dicas, sed, ut in *proverbio* e) dicitur, *Tyria maria concitata* jures. Et de contemptu hujus ordinis quid multa di-

a) Iliad. 9.

b) lib. 3. de Orat. Vide & Quintilian. lib. 2. c. 3.

c) Rudent. A. 2. S. 3. v. 71.

d) Erasm. l. 2. Apopht.

e) apud Erasm. p. 924.

ta dicam? aut de eâ, quæ *quasi in quarto modo*, ut loquimur, *hominibus de Scholâ, propria est*, paupertate & indigentiâ quid proferam?

Scilicet is mos est Phœbi florentis alumnis,
Spernere opes, preciumq; solo calcare superbo.

canit poëta nostri ævi prę̄stātissimus *Sallustius*.† Proinde qui ad informationem juventutis litterariæ animum appulsurus est, ne suavi quadam, sed falsâ imaginatione sibi fingat aut expectet *rosas, lilia, sesamum, papaver*: sed spinas illas atq; sentes incommodorum de quibus modò dixi, aut omnes, aut maximam partem, certo certius subeundas ei ducat, qui hanc provinciam subiit. Quibus si sufferendis est, age, scholam ingrediatur, adolescentiam regat, & molestias has patienter devoret: sin minus: ferulas ac *sceptra illa virgea* ne attingat, & mollius aliquod beatiusq; vitæ fastigium seligat.

† lib.5.Hebdom.

VII. Sed jam *terram videmus*, & nihil restat amplius, quàm ut duobus solummodò verbis *concordiæ quoq; & pacis studium* commendemus ei, à quo in officinis scientiæ ac humanitatis prima ætas educanda & formanda est. Quemadmodum enim si in mari vectorum alii in hāc, alii in illam par-

partem flectant puppim, difficilis futura est & incommoda navigatio, quantopere etiam cœlum aut Zephyri faveant: ita si vel maximè assint reliqua omnia, quæ ad fęlicem floridæ ętatis culturam sunt necessaria, absit verò Collegarum concordia, *oleum & operā omnem perdi* necesse est, At si iidem amicâ quadam cōspiratione consensuq; benevolo in cymbâ hac litterariâ *remum pariter ducunt*,† mutuasq; in adolescentibus instituendis operas tradunt: omnia ex sententiâ, & *velut secundis ventis* succedunt. Sed unanimitatem hanc ejusdem muneris sociorum quis meliùs deprędicaverit, quàm in sacro suo carmine psaltes ille illustris ac sanctissimus *David** celebravit? Hujus igitur Odā, *Eobani Hessi* stilo versam, hic repetamus, & hac quasi, faustâ clausulâ rem totā finiamus.

† Erasm. Adag. p. 263. & 1009.

*Psalm. 133.

Quæ ligat unanimes felix concordia fratres,
O quales fructus utilitatis habet!
Consona fraterno si vita sit omnis amori,
Quis veræ dubitet dicere pacis opus?
Tam sanctam sequitur pacem jucunda voluptas,
Quam pius æthereo nectare pascit amor.
Non secùs ac liquidos stillantia balsama succos,
In sacra pontificum tempora fusa fluunt,
Inde sub extremis ita deflua vestibus hærent,
Dulcis ut in toto corpore spiret odor.

Sicut

Sicut & aërius Libani de montibus humor
Ubere fœcundam rore Siona facit.
Talis ubi est, interq; manet concordia fratres,
Ipse bonum præsens influit omne Deus.
Nam vitam tribuit meritis cœlestibus auctam,
Illa est divitiis non redimenda quies.

DIXI.

De Persarum Institutis atq; Moribus,

ORATIO.

SI quis est, *Auditores Illustres, Generosi, Magnifici, Strenui, Nobilissimi, Amplissimi, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, Doctissimi*: qui gentilium instituta omnia aut inepta, aut sine ratione introducta arbitratur, eum falsam concepisse opinionem tum aliis argumentis, tum celebritate illâ *Lampadum*† ab Atheniensibus olim peractâ, facilè demonstravero. Solebant etenim, qui de eo die, quem τὰ ἐπὶ λαμπάδι dixêre, in *Ceramico* currebant, ardentes faces tam diu gestare, do nec labore cursuq; fessi, pergere in hoc stadio non valerent. Quod quidem cùm ita evenisset, proximo *lampada* illam tradebant, qui & ipse jam defatigatus porrigebat alii, & hic similiter deinceps alii, successione quadam continuâ

† Erasmus Adag. p. 74.

in manus dabat. Erat hæc festivitas, *Minervæ, vulcano, & Prometheo* sacra, unde & solemnia illa ἀθήναια ἡφαιστᾶα, & προμήθεια appellata. Nimirùm *daduchiâ hac* indicare voluerunt, qui moris certaminisq; istius auctores exstitêre, artes eas atq; litteras humanitatis & sapientiæ, quas *Minerva* invenisse, *Prometheus* in orbem propagâsse celebratur, non esse vel temporum ac vetustatis injuriâ negligendas atq; omittendas; sed posteritatis commodo ita consulendum, ùt liberalium disciplinarum studia, quæ omni igne clariora, omni luce pulcriora, ipsoq; Lucifero formosiora

† Cicero Famil.lib.13. Ep.56.

credi fas est, *sarta tecta*, †*ut ajunt, ab omni detrimento atq; interitu sincera integraq; conserventur*, & continuo seculorum ordine ad

Postgenitos genitorum, & qui gignentur ab ipsis *

* Taubman. Sched. p.181.

propagentur ac disseminentur. Quemadmodum enim *tædæ illæ flagrantes* de manu in manum transmittebantur, ita iis, qui juventuti *facem doctrinæ virtutumq;* aliquãdiu prętulêre, ex palæstrâ hac litterariâ, quoquo modo evocatis, alios substitui fas est, qui *lampade eâdem* acceptâ *eundem cursum* teneant, faxintq;, quantum humaniter

niter fieri poteſt, ne *lux illa artium* in mortalium genere extinguatur. *Fax ejuſmodi, Auditores,* ut vetuſtatis nebulas nunc removeamus, inq; ipſam rem pręſentem clarâ in luce intueamur, *Fax ejuſmodi, curſoresq́;* λαμπαδοχοῦντες, apud nos etiam & ſpectati ſunt hactenus, & ſpectantur etiamnum. Sunt & hîc *Athenæ, Breslam*, puto hanc inclutam, quæ non minùs, ut illud Ἑλλάδος εὖχος, † litterarum nutricatione ac patrocinio nobilitata eſt. Eſt & hîc *Ceramicus*; *Gymnaſium hoc* intelligo, quod non minori, ob varia pubis exercitia, celebritate per multos retrò annos inclaruit, quàm olim Atticæ ille regionis locus lampadarum certamini deſtinatus, ſitus pręalti nomine floruit. Sunt & hîc *lampades* : *artes* innuo, *ſcientiasq́;* politiſſimas, quæ non minùs humani animi, immò verò vitæ univerſæ caliginem utiliſſimo jubare illuminant, atq; lychnorum tædarumq; flamma tenebras diſcutit. Sunt & hîc *lampadum iſtarum geruli*; *Doctores*, ſignifico *Rectores, Magiſtrosq́; juventutis*, qui in omni propemodum ſtudiorum genere diſcentibus *facem*, ut ſic dicam, *Philoſophicā* pręlucent, cujus ductu ſine offenſione atq; errore ipſi perveniant ad illa

† Gregor. Nazianzen. Ἑλλάδος εὖχος ἀθῆναι. Græciæ gloria Athenæ.

Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena.†
Quibus omnibus uti ſuus honor, ſuum premium, & illa ex *Epicharmi** elogio μεγάλα χάρις, meritò debetur: ita cur ex iis *Clariſſimum atq; Doctiſſimum Virum. D.M. Petrum Gotthardum*, ſingulariter nunc laudem, cauſam aut ſcitis, *Auditores*, aut mox ſcietis. Annos enim jam ipſos octo *Vir iſte & Profeſſor longè digniſſimus lampada* (pace veſtra iterum ſic dixerim, *Auditores*) *hiſtoricā atq; oratoriam* prętulit, Gymnaſiumq; hoc noſtrum ita illuſtravit, ut tam fidelitate diligentiaq; adoleſcentium commoda juvaret, quàm doctrina atq; dexteritate gloriam ſuam amplificaret. *Eam lampada, Deo ac Magiſtratu* ſic volente, & ad ſublimiorem palęſtram è ſcholaſtico ſtadio hominē evocante, in poſterum ejuſdem *Opt. Max. Numinis providentiâ, Ejuſdemq; Magnificentiſſmi Senatus auſpicio*, mihi minimo omnium traditurus eſt. De quâ profeſſione mea nova dum cogito, illius quidem mihi in mentem venit, quod apud *autorem Rhetoricorum* de Imperatore novo ſapientiſſimè ſcriptum eſt: *Non, quemadmodum in palæſtrâ, qui tædas ardentes accipit, celerior eſt, in curſu continuo, quàm ille, qui tradit: ita melior Imperator novus, qui accipit*

exer-

† Lucretii verſus; laudatus, & à Lipſio lib. I. de Conſtant. cap. I.

* De Epicharmo Siculo Theocritus in Epigrammat. πολλὰ ποτ-τὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα, μεγάλα χάρις αὐτῷ. Multa ad vitam pueros docuit utilia, magna gratia illi habenda eſt. Dreſſerus Millenar. 4. p. 512.

exercitum, quàm ille, qui decedit: propterea quod deſatigatus curſu, integro facem, hic peritus Imperator imperito exercitum tradit. Non tamen eapropter animum deſpondebo, aut minore alacritate provinciam divinitus demandatam aggrediar: Illud *Symbolum* ſolatio mihi eſt, & ſtimulo:

Nil deſperandum eſt Jovâ Duce, & Auſpice Curâ.

De hac dicenti cùm credam *Senecæ*;† *Nihil* †Epiſt: 50.
eſt, quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura: omnia mea ſtudia, omnem operam, induſtriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in juventutis ſalute figam & locabo: *De illa* cùm ita loquatur & ſuadeat *Jacobus Apoſtolus*:* *Iacob. 1.
Si cui veſtrûm deeſt ſapientia, petito à Deo, qui v. 5.
dat eam omnibus benignè, nec exprobrat, & dabitur ei: parebo, Fontemq; illum ſapientiæ ác doctrinæ unicum aſſiduis venerabor precibus, ut & meos docentis, & veſtros diſcentium labores, operas atq; exexcitia regat, juvet, & ita proſperet, ut, cùm ſemper in hoc ſcholaſtici agonis pulvere ſint, qui vel viribus morbo mortéve fractis nequeant, vel ad alia munia divinitus accerſiti, nolint. *faculam hanc doctrinæ* præferre junioribus, ſemper etiam

ſint, quibus *lucerna illa* rectè ac fructuosè poſſit credi ac commendari: atq; ita ingenuæ artes, quas τῶν καλῶν πηγὰς *Muſa illa Attica* Xenophon† ſuaviſſimè, ut ſolent omnia, nuncupavit, ad ſeram uſq;, ſi qua ſperanda eſt, poſteritatem, conſerventur.

† lib. 7. Cyropæd.

Taubman. à Schediaſm. pag. 145.

*Supplicio ergò tuas Jehova laceſſimus aureis**
Ut, quæ dona tuis hodiè largitus, & olim es,
Propria ſint, nobis, ſeræq; propaginis hæres
Intemerata ſuis eadem tranſcribat alumnis.
Sic doctrina tuo de nomine lumen in iſtis
Artibus inveniet, nomenq; per ora piorum
Alterno ſermone tuum cum laude volabit.

Hac igitur ancorâ niſus, hac ſpe fretus, his cogitationibus confirmatus *porrectam facem* deinceps quidem ſuſcipiam, in præſentiâ verò id, quod hujus loci atq; temporis proprium eſt, pro virili exſequar. Cûm enim in hoc ſplẽdidiſſimo conſeſſu de materiâ quapiã eruditâ *pro more gymnaſii noſtri laudatiſſimo* dicendum eſſe intellexerim, nullum aptius, inſtitutoq; meo convenientius differendi argumentum invenire me poſſe arbitratus ſum, quàm ſi *de Perſarum moribus ritibuſq; quibuſdã*, ſermonem brevi & ſimplice telâ nunc cõtexerem. Id verò ut arbitrarer, partim *temporis opportunitas*, partim *materiæ ipſius ratio*

me

me impulit. Cùm enim *in hoc tempore* profeſſionis meæ hiſtoricę initium à celeberrimâ illa *Perſarū Monarchiâ*, quod inter ſummā illa mundi imperia, ſecudū eſt, conſtituendū ſit, facilè apparet operæ pręcium eſſe diſcentes quædam de illius populi inſtitutis, in quē Deus, regnorum ille fundator & translator, tāti dominatûs, tantæq́; potentiæ ornamēta contulit, præcognoſcere, atq; ita pręparatione quâdā ad ſtudium illud ampliſſimum pariter & jucundiſſimū deduci, Reliquis verò *Auditoribus ampliſsimis & præclariſsimis* nūc pręſentibus, etſi nō multa habeo polliceri, quod ipſos pleraq́; quæ à me in medium proferētur, penit9 jamdudū cognoviſſe facilimè credā: eum tamen fructum ad eos redundaturū ſpero, qui ex repetitione & recordatione rerum ſuaviſſimarū ſolet percipi. Si enim reduces eos, quos juvit aliquando

Ire peregrino loca Sole calentia viſum, † † Taubman. Sched. p.136.

Ac varios hominum, rerumq́, addiſcere mores.

cum dulcedine quâdam audimus diſſerētes, commemoranteſq́;, quid ſingulare, quid mirum, quid ſtupendum, diverſis in in locis atq; populis obſervaverint: cur nullam delectationem eorū habeat oratio, qui in litteris, ut ita dicā, peregrinati,

omnes mundi tractus, regiones, maria, gentesq́; quæ alii corporis oculis, ipsi mentis lumine perlustraverunt, eaq́; inde in usum suum collegerunt, quorum expositio ac commemoratio omnibus sit gratissima & dulcissima? Omninò, *Non alia pars litterarum plus aut voluptatis, aut utilitatis adfert studiosis, quàm historia*, verè scripsit communis ille, nec unquam satis laudatus Germaniæ preceptor, *Philippus Melanchthon*.† Sed cùm de vestrâ, *Auditores Selectissimi, Dilectissimi*, vel benevolentiâ, vel attentione dubitare, mihi sit religio, rem ipsam rectâ nunc aggrediar, quæq́; *de Persarum institutis*, in historiarum monumentis consignata extant, quàm potero, brevissimè recitabo. Atq; ut à regione, quàm frequentissimus iste atq; potentissimus Asiæ populus habuit, exordiamur, sita est *Persia* in plaga mundi Orientali,* terminis circumdata, secundum *Ptolemæum*†, Carminia utraq; versus Eorum tractum; sinu Persico, versus meridiem; Susiana, versus solem occasum; Medis, versus septentrionem. Urbibus floruit tum aliis, tum inprimis Persepoli & Susis. Acilla quidem veterum Persarum & regia, & ærarium fuit, arce, munitionibus,

† Præfatione in Iustin.

*Iohan Bohemus l.2. de gentium ritib.c.7.

† lib.5.

bus,gazis, ſupra modum potens. Poſtea verò quâm Cyrus Medes depellaſſet,Suſa ad idem faſtigium evecta fuêre. Cûm enim,ut eſt apud *Strabonem*, rationem ſituſq; locorum probè contemplati eſſent *Perſæ*, cognoviſſentq; ditionem ſuā propè in ultimis terræ partibus, & extra populorum confinia collocatam, Suſianam verò & Babyloniæ & provinciis gentibuſq; aliis vicinam eſſe, in hanc ipſam Monarchiæ ſuæ ſedem tranſtulerunt, Suſaq; Metropolin, & quaſi regni domicilium eſſe voluerunt. Erat urbs ipſa ſplendida ſatis,centum & viginti ſtadia, id eſt, quatuor milliaria noſtratia prçter propter ambitu ſuo complectens, ædificiis,templis,mœnibuſq; bitumine & latere coctili admodum Babylonicæ magnificentiæ extructis, perquam inſignis, opulentiâ verò, theſauriſq; regiis adeò nobilitata,ut, judicio Ariſtagoræ, *qui urbem cepiſſet,divitiis ipſo cum Jove certare potuiſſe creditus ſit*, ut eſt apud *Herodotum in Terpſichore*. Non tamen ita modis omnibus Suſa exornata,ut propterea *Perſepolis* omninò neglecta: quin & in hanc, ut ait *Q. Curtius lib.5. totius Perſidis opes congeſſerant barbari, aurum argentumq; cumulatum*

erat, vestis ingens modus, supellex non ad usum, sed ad ostentationem luxûs comparata: id quod in expugnatione direptioneq; urbis per Alexandri Magni milites facta, deinceps satis superq; animadversum fuit. Sed *à loco ad ipsos incolas* deveniam, quos eruditi *Persas* dictos volunt,† quasi viros fortes, & raptores, omniaq; in more *accipitris* devastãtes. Hebręis enim, unde hæc originatio poëta est, פָּרַס idem est, atq; dilaceravit, dirupit, פֶּרֶס autem *accipiter*. Quodnam verô gentis hujus caput, & quod seminarium ac veluti prima radix sit, dicere fortasse non est facilè: Verissimumq; hoc *Bodini* est judicium, *capitis noni initio* ita scribentis, *Nulla quæstio magis exercuit historiarum scriptores, quàm quæ habetur de origine populorum.* Nam qui *Perseum* Danaes Filium, stirpẽ authoremq; *Persarum* statuunt*, nonnihil quidem videntur dicere: Quia tamen mille propemodum annis ab universali illo diluvio floruisse *Persea* ex Chronologis† colligitur, paulò altius inquirenda hæc principia statuo. Nimirùm ad sacros illos *priscarum originum libros*, quos singulari Dei & providentia & beneficio μέγας ὁ θεόλογος *Moyses*, cõscriptos posteritati reliquit, recurrendũ est. *Noacho* igitur alteri illi hu-

†Vide Becmanum originibus L.L. pag. 366.

*Vide Herodotum in Polymniâ.

†Videntur Funccius, Helvicus, & alii.

mani generis parenti ac proseminatori tres fuêre filii, *Semus, Chamus, & Japetus*, ex quibus ceu stipitibus, omniū populorum nationumq; multitudo exorta est. Ac *Semi* quidē filiorum primus nominatur *Elam*, cujus posteri *Elamitæ*, sive ut Antiquitatū Judaicarum doctissimus pariter & solertissimus scriptor *Josephus* vocat, *Elimæi*, superiorē Persidis partē incoluerunt: regno maturè satis constituto. Nā in ipsâ historiâ *Abrahami & Lothi Patriarcharum*, *Kedarlaomor* Rex *Elam* nominatur, *Genes.14.1.* Ab iis ipsis deinceps *Persæ* oriundi, cùm proprium imperiū confirmâssent, *Elamitarum* nomē paulatim obliterarunt. Ac ne quis de hac deductione atq; appellatione stirpis *Persicæ* dubitet, plurimi in promtu sunt textus biblici, qui probè considerati atq; invicē collati, hoc evincūt evidentissimè. Ex quib9 eruditissimus nostri seculi Theologus *Salomon Gesnerus* † hanc verissimam colligit ac constituit regulā: *Scriptura ipsam Persiam nomine Elam intelligit, & Persas vocat Elamitas.* Inprimis verò hoc cōstare potest ex libro vaticiniorū *Danielis*, in cujus *capite octavo*, Prophetarum huic sanctissimo divina obtigisse memoratur visio in palatio *Schusane*, quod est in provincia *Helam*, ad fluentum *Ulaii*.

† Commentario in 8. cap. Daniel. quæstione 2.

Si enim *Schuſan*,ſive,ut Geographi vocāt, *Suſa Perſiæ* eſt metropolis, ut modò fuit expoſitum: ſi *Vlaius* ille eſt fluvius, quem nomine ad Grӕcæ Latinæq; lingvæ ſpeciem adornato *Eulæum* auctores vocant, qui,ut *Plinius lib.6. c.27.* narrat, *arcem Suſorum, & illud gentibus auguſtiſſimum Dianæ tēplum circumfluit*, quid reſtat, niſi ut *Helam* nulla alia regio,niſi *Perſis*, intelligēda ſit. In his igitur terris conſidens, & ab hoc, quod diximus, principio ac ſeminario exortus atq; auctus populus *Reges ſuos habuit: quos quantopere coluerit*,operę precium fuerit cognoſcere. Quidam Lacedӕmone peregri commoratus,cùm animadvertiſſet ſummam ibi ſenectutis amplitudinē, ſummam dignationem eſſe: *in ſola*, inquit,*Sparta refert ſeneſcere.*† Simile quid *de Perſarum Monarchis* dici poſſe, equidē puto. Tanti enim à ſubditis fiebant,ut *in ſolâ Perſiâ Regem eſſe expedire* non nemo forſan judicaverit. Quem enim cultū, quam reverentiam,gentes aliæ diis immortalibus ſolis exhibuêre, ejus principem Dominumq; ſuum *Perſæ* fecêre participem; ut verè *ab ipſis Deorum loco Reges haberi, mortalemq; hominem adorari, & Dæmona appellari, Æſchylus & Iſocrates** *dixerint*: Nam in

† Eraſm.l.2. Apopht.

* in Panegyrico.

in terram proſtrati eundem venerari ſolebant, quod peculiari voce προσκυνεῖν appellarunt: quæ vox etiam in ſacrâ *Matthæi Evangeliſtæ* † hiſtoriâ de *Magis ex Perſiâ* † Cap.2.
ad Chriſti incunabula, ductu ſideris, profectis, eodemq; ſubjectionis geſtu verum illum non Judæorum modò, ſed univerſi orbis Regem & Conditorem veneratis, legitur. Erat honor iſte *Perſarum principi*, adeò proprius, ut nulli fas eſſet, aut faciem vidiſſe, aut dextram tetigiſſe. Monarchæ, niſi, qui hoc reverentiæ humilitatiſq; genere uteretur. Proinde cum *Conon Athenienſis*, Perſarum contra Spartanos Imperator bellicus, Regem quidem convenire vellet, adorare autem, pro more gentis, nollet, aſpectu ejus & colloquio prohibitus eſt, ut refert lib. 8. *Trogi abbreviator Juſtinus*. Sed & alia in promptu ſunt autoritatis hujus regiæ, & propè divinæ majeſtatis indicia. Grande hoc credebāt nefas, & quod ſeveriori piandum eſſet ſupplicio, ſi quis, præſente Rege, vel riſiſſet, vel ſputum ejeciſſet. Contumaces verò, & qui juſsis regalibus parere renuerent, uon modò vitâ & ſpiritu, ſed & ſepulturæ officio indignos arbitrabantur; capiteq; amputato, & reſectis brachiis

cani-

canibus avibusq; prædam, inhumatos projecerunt. Usq; adeò inviolabilem existimationem, sanctumq; nomen esse Regis illi voluerunt, ut diem illum, quo heres regius successorq; in imperio in lucē esset editus, *non ut natalem hominis, sed ut festum Numinis, universa celebraverit Asia.*† Quin & quamvis fortē parentes Reges à Persis deficerent, nihilominus tamen ita honorandos censuerunt Regum filios, ut iisdem principatum restituere nullo dubitaverint modo. Quà quidem observantià, quo obsequio Monarchis istis exhibito, id effectum est, ut Persæ opibus armis, potentiaq; tantùm valerent, quantum eà tempestate, nullus alius populus. Id quod ne *Isocrates* quidem Rhetor ille nobilis diffiteri audet, quem tamen ut ex locis pluribus authoris istius colligere est,* fortuna & felicitas *gentis Persicæ.*

† Alexander Sardus l.2. de morib. gent.

* in Panegyrico præsertim.

Obliquâ invidiâ & stimulis agitabat amaris. Sic enim *ille in* Nicocle: τὴν τῶν Περσῶν δύναμιν ἅπαντες ἴσμεν τηλικαύτην τὸ μέγεθος γεγενημένην, ὅτι μᾶλλον τῶν ἄλλων τὴν βασιλείαν τιμῶσι, id est, *Persarum potentiam scimus ad tantam processisse magnitudinem, quod Regum præ nationibus aliis sunt observantissimi.*

Ve-

Verùm ne ſplendorem & ſpeciem hujus vitæ ita intueamur, ut ſolicitudinem & laborem omnem abfuiſſe putemus: quin potius hic etiam multum oneris magno cum honore conjunctum fuiſſe exiſtimemus. Nam ut de militari occupatione bellisq; difficilimis in Aſia & Africa geſtis nihil dicam, ſolebant *Perſarum Reges* inter miniſtros alios, cubicularium etiam alere quempiam, cui hæc injuncta erat provincia, ut ſummo mane in dormitorium ad ipſum ſummi Principis lectum ſe penetraret, eundemq; his verbis è ſomno excitaret: Ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ μεσορομάσδης ἠθέλησε, id eſt, interprete litteratorũ Phœnice *Eraſmo* in aureo Chiliadum opere: *Surge Rex, ac negocia cura, quæ te Meſoromaſdes curare juſſit. Meſoromaſdes* autem iſte *Zoroaſter* fuit *Ormas Dei Filius*, uti *Alexander Sardus libro ſecundo de Gentium moribus* ſcribit. Porrò & *de ritibus circa epulas uſitatis*, auctores non incelebres memoriæ quędam prodiderunt. Menſæ regiæ prętet matrem atq; uxorem nulli licebat accumbere, niſi ei, qui Regem quempiam in pręlio ſuperaſſet: nec fas ulli hoc refectùs tempore loqui, præterquam

quàm *Pholosopho*, utpote *qui solus præstare hoc posset, ut dum corpus cibariis alitur ac potionibus, mens animi suis etiam non careat deliciis.* Antea verò quàm discumberetur, clangentium tubarum sonore dabatur signum, ut pupilli viduæq; omnes & universæ adessent: ita enim lege sancitum erat, ut quicquid ciborum, mensæ regiæ apparatibus superesset, id in homines distribueretur miserrimos. Intellexerunt nempe naturæ luce homines isti, quamvis in gentilitatis tenebris immersi, *pulcritudinem divitiarum non in sacculis divitum, sed in alimoniis pauperum esse,* quod pulcrè in epistolis spripsit *Mediolanensis Episcopus:* † Quinam verò pauperiores, quinam magis spreti & viles, quâm

† Ambrosius epist. 44.

Pupilli, Viduæq́, genus miserabile secli? *

* Taubman. Scedis. pag. 306.

Hactenus igitur *Persicorum Regum victus ac diæta laudabilis.* Id verò *vituperium* potiùs, quàm commendationẽ mereri mihi persuadeo, quod voluptates, quod delicias, quod luxum nimium quantum sectarentur. Nam ut nihil dicam de omnis generis coquis, crustulariis, fartoribus, gulæ artificibus, & intemperantiæ magistris, quòd in castris etiam *Darius* secum habuit; consueverat *Persarum Monarcha* insigni

eum

eū afficere præmio, qui novum aliquod, & palato nō ingratū eſculentorum genus excogitáſſet ,Ex quo factum, ut quidquid exquiſitè lautum eſſet, atq; opiparum, id *Διὸς καὶ βασιλέως ἐγκέφαλον Jovis & Regis cerebrum* appellarent, uti obſervavit *Adagiorum ſcriptor diligentiſſimus*.† Sed & uxoribus ſuis, quas habebant plures, nimium in veſtitu, corporumq; ornamentis indulſere luxum. Totas enim urbes iis tribuebant, ut è vectigalibus, aliisúe reditibus, redimicula, flammea, zonas ſibi compararēt, quas vrbes hoc ob officium *καλυπτήνεια* ac *ζωστήνεια* dixêre. Atq; id ita ipſis facere, nō erat difficile admodûm, cūm tanta pecuniarum atq; opum copia ab aliis urbibus in ærarium regium quotannis perferretur, ut unius aut alterius civitatis reditū pro derelicto habere potuerint. Etenim, ut ex *Policrito* quodam refert *Strabo, Perſarum Regum* quiſq; domos ſuas in monte extruxerunt, theſauroſq; ſuos tum ex terræ proventibus, tum ex ſubditorum tributis collectos ibi recondiderunt, magnum rei benè geſtæ, regniq; laudabiliter adminiſtrati argumentum exiſtimantes, ſi magnas coacervâſſent opes, Exigebant autem illi ex oris maritimis argentum, ex

† Eraſmus pag. 982. Videatur & Camerarius in Ethic. Ariſtot. pag. 365.

mediterraneis verò, pro regionis cujusq; indole, colores, medicamenta, pecora, canã, alia. Unde factum, ut propè in immensum, opes illæ accrescerent, id quod vel ex *Q. Curtio*† cognosci potest, qui *Alexandrum Magnum* scribit ex unâ *Persicorum Regum* urbe, *incredibilē pecuniæ summã egessisse, quinquaginta millia talentûm argenti non signati formâ, sed rudi pondere. Multi scilicet* (ut ibidem addit elegãtissimus scriptor) *Reges tantas opes longâ ætate cumulaverãt liberis posterisq;, ut arbitrabantur: quas una hora in externi regis manus intulit.* Ex quâ commemoratione (quod obiter in philologiæ studiosorũ gratiam addimus) apparet etiã illius proverbii origo, quo fortunæ opesq; maximæ ac copiosissimæ, *Persarũ Gazæ* vocabulo vulgò appellitantur. Cùm enim, ut *Pomponius Mela lib. 1.* in descriptione Syriæ perhibet, *Gaza*, ingentis & munitę admodũ urbis nomen sit, in quã Cambyses cùm Ægyptũ armis peteret, belli & opes & pecuniã intulerat, factũ est, ut nõ solum *Persæ Gazam* ęrariũ, secundũ *Melã* loco dicto, vel pecuniã & divitias, secundũ *Serviũ** & *Q. Curtium*† vocaretur: sed & auctores alii, cum thesauros maximos invenire vellẽt, hac velut adagione uterẽtur. Exemplo sit *Marcellus Palingenius lib. 2. sui Zodiaci.*

Meli-

† lib. 5.

* super illud Virgil. 1. AEneid. & Troja gaza per undas.

† lib. 3.

- - - *Melius mendicum vivere, dum te*
Cœlicolis similem divina scientia reddat,
Quâm si possideas Persarum bellua gazas.

Et *Erasmus* primus ille patrum nostrorum tempore politioris litteraturæ instaurator, in aureo, quem *Diluculum* inscripsit, Dialogo: *Nulla possessio cum hominis vitâ conferenda est, ne universa quidem Persarum Gaza.* Sed hæc, ut dixi, obiter; Nunc in viam, & ad *Reges*, de quibus dicere cepimus, redeamus, Iis verò non erat in ulla suarũ urbium perpetua sedes aut commemoratio: sed quemadmodum *Lucullus* ille Romanus alio in domicilio, aliis agebat tẽporibus: *grues* hac in re, ut ipsi apud *Plutarchũ* dicit, imitatus, †*quæ nunc hos, nunc illos nidos, pro aeris tempestatisq́; ratione aut relinquunt, aut repetunt*: ita *Persarum principes* secundum usitatas anni horas, & secundũ diversas cœli cõstitutiones, sedes suas habitationesq́; mutabant: *Vernos enim dies* Susis consumebant; *æstate* in Ecbatanæ montibus facilimè erant: *autumno* Persepolin veniebant: *per hyemem* deniq; Babyloniæ considebant.* Sed *de primo regum ingressu Persepolin*, memorabile quiddam *Plutarchus* narrat in libro de Claris mulieribus, quòd nec hîc prętereundum videtur.

† Videatur Neander Annotat. in Tryphiodorum p. 242.

* Alexander Sardus l. 2. de gent. morib.

Quicunq; enim Monarcharum Persicorum primum omnium urbem illam intrabat, lege à Cyro imperii illius aucto relata, mulieribus, quotquot ibidem loci ætatem agerent, aureum nummum largiri tenebatur; in memoriam nempè muliebris illius quidem, sed admirandi stratagematis, quo fœminæ quondam urbem & regnum salva atq; integra couservaverant. Dum enim Persarum exercitus à Medis pulsus atq; profligatus, fugā sibi salutem quęreret, jamq; urbi appropinquaret, mulierum multitudo ingens fugientibus occurrit, vestibusq; detractis nuda ostentabat corpora, hac utens προσφωνήσει. Quo ruitis ignavi? num in matrum, aut vxorū vestrarum uteros cogitatis fugere. Illi verò partim obscœni spectaculi, partim muliebris exprobrationis pudore confusi, animum recipiunt, hostesq; denuò adorti eorum perrupêre aciē, fugereq; compulerunt.† Hinc adeò factum, ut lex illa, quam dixi, in favorem sequioris sexus, à Cyro promulgaretur: cui tamen legi ut fraudem faceret *Ochus Persarum Rex*, & tum aliis infamis vitiis, tum avaritiâ sordidus, urbem illam sępiùs quidē circumvectus fuit, intrare tamen nun-

† Iustin. l. 1.

nunquam voluit, hanc vnam ob causam, ne fœminis debitum pręmium cogeretur solvere. Porrò *de itineribus ac profectionibus Persicorum principum*, hoc etiam auctores annotavêre. Duxêre secum exercitum magnum; frumento aliisve quæ corpori alendo ac reficiendo sunt, probè instructi. Aqua etiam portabatur vnà, & ea quidem ex flumine *Choaspe*, ex quo uno, ut scribit *Herodotus*,† Reges potârunt, indeq; aqua ejus à *Tibullo** poëtarum elegantissimo, regia fuit dicta: † lib.1. * lib.4.

Ne qua vel Nilus vel regia lympha Choaspis
Profluit.

Hujus igitur amnis aqua decocta, vasisq; infusa argenteis, curribus quatuor rotarum imponebatur, quos trahentes muli Reges, quocunq; pergerent, sequebantur.

De Regibus Persarum quantum satis fuit, diximus; superest ut *de cæteræ turbæ moribus* disseramus, Hîc verò *ingens, & spaciosus admodum dicendi campus* sese aperit, & cui decurrendo una hora non sufficiat, Quis enim tantillo tempore fando enumeret, quæ Numina illi, & quâ religione, quibusq; ceremoniis devenerati fuerint; quibus ritibus nuptias ac matrimonia cele-

braverint: quâ ratione forum agentes res statuerint, decreverint, judicaverint: quales se in vestitu, in congressibus, in omni conversatione civili præbuerint: quo deniq; supremo officio vitâ defunctos affecerint? In quibus quidem omnibus plurima insunt, quæ scire discentium interesset: quia tamen *optimarum quoq; rerum, si minus satietatem, certè modum quendam esse,* me monet *Erasmus*† ille ter maximus, & verò nimiâ prolixitate benevolentissimę vestræ auscultationi molestiam me creare non debere intelligo: sicco pede hæc maximam partem nunc quidem præteribo; aliiq; loco ac tempori, *cùm mihi abundè ocii fuerit** reservabo. In pręsentia verò pauca duntaxat *de Persarum Angaris sive Astandis, deq; eorundem Magis: tum verò de educatione liberorum, deq; consultatione inter scyphos, populi huic usitatâ* proferam: quod & de illis non infrequens sit apud auctores mentio, & in his nonnulla sint, quæ vel cum utilitate, vel delectatione edisseri explicariq; possint. Ac *de Angaris* quidem res ita habet. Solent & nostro hoc tempore Principes ac Respubl. florentiores genere quodam tabellariorum uti, si negotium aliquod quàm celerrimè cupi-

† Prefatione in Chiliad.

* A. Gellius l.6.c.8. Quibus abundè & ingenii, & ocii, & verborum est.

cuipiam intimari maximè interſit: qui per certa loca ordine ita ſunt diſpoſiti, ut primus acceptas litteras ſecundo tradat, ſecundus tertio, tertius porrò ſequenti, atq; ita deinceps, non aliter, ac ſupra *de lampadibus*, ſucceſſione continuâ porrectas ſuſceptaſq; eſſe dicebamus. In vernaculo ſermone Poſtboten vel Poſten appellamus, quaſi *poſitas Curſorum ſtationes*, ut arbitratur Budæus. Ipſi rei apud nos quidem auctor perhibetur *Galliarum Rex Ludovicus XI.* ut in *Epiſtolis* † meminit ille †Centur. 3. Ep. 59.

- - Dædalus artifex

Latinæ Linguæ Lipſius. Cum enim *Carolo Burgũdo*, qui *Audax* dictus eſt, triplicem, eamq; ſatis gravem cladem perpeſſo, tandemq; occiſo, Galliarum Rex Flandriam & Burgundiam occupare moliretur, (id quod triennio poſt cõtigit, quam *Uratislavia* hæc incluta à tribus *Regibus, Hungaro Matthia, Bohemo Uladislao, Polono Caſimiro*, obſeſſa eſſet) veredarios hujuſcemodi ita diſtribuit, ut & certiſsimos & frequentiſſimos nuncios acciperet. Verùm rẽ longè antiquiorem eſſe, facilè vel ex *Herodoto in Uraniâ* intelligi poteſt, qui *Regibus Perſicis* in more fuiſſe poſitum affirmat,

ut certis intervallis *Equilia*, inq; iis equos, & curatores equorū, & deniq; viros idoneos constituerent; qui litteras regias acciperent, citatissimo cursu, & gruum volatui (ut quibusdam visum) pari, personis locisvé destinatis perferrent. Atq; hoc, ut ait *Suidas*† ἐκάλουν οἱ Πέρσαι τῶν βασιλέων ἀγγέλους· οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ ἀστάνδαι, *hos nominabant Persæ, Regum angelos sive nuncios: dicebantur & Astandæ.* Sed non his tantum cursoribus Regum mandata atq; litteræ quàm celerrimè in longinqua loca perferri solebant: quin & alio, & multo mirabiliore modo, si quid fortè significandum, brevissimo temporis spacio maximam locorum intercapedinem vincere poterant. Eum verò, *diligentissimus ac probatissimus omnium Græcorum consensu, historiæ scriptor** *Diodorus Siculus lib. 19.* exposuit, & ex eo Clarissimus *Lipsius*† repetiit, cujus nos verbis eundem hîc referemus: *Cùm Eumenes milites & arma expediret, quidam Persarum qui triginta dierum spacio abessent, eodem illo die hoc cognoverunt. Fide major res videtur, sed ille ita denarrat. Persis,* inquit, *pleraq; montana est, & vallibus interrupta, in montibus, opportunis locis speculæ sunt, in quibus consistunt homines maximè vocales: speculæ autem*

† in voce ἄγγαρος.

* ita laudatur à Lilio Gregor. Gyraldo Syntagm. 1. Histor. deor.

† Epistolâ antè dictâ.

ita

ita divisæ, quantum vox ab una ad alteram venire & excipi potest. Re igitur nunciandâ unus inclamat proximo, ille alteri, & sic deinceps per omnes Satrapias, ad extrema regni. Porrò quādo brevitatem, quam promisi, sequendum mihi est, nolo his dicendis obhærescere diutiùs. Nefas enim esset, me patientiâ vestrâ atq; attentione abuti, Auditores observandi, & amandi. Proindè id etiam, quod *de Magis Persarum* nunc dicēdum est, exsequar brevissimé. Cum *nulla Respubl.* divini etiam Platonis judicio, *florere possit aut crescere, si sapientum hominum destituatur auxilio & regimine: sapientia verò litteris potissimum & eruditione comparetur;* nullus populus in orbe fuit humanior, quin artes, artiumq; excultores, viros doctos, foverit, iuverit, ornâverit. Hinc Indorum *Brachmanes*, sive *Gymnosophistæ*, Græcorum σοφοὶ & φιλόσοφοι Ægyptiorum Judæorumq; *Prophetæ, Aruspices ac Sacerdotes.* Latinorum, Gallorum *Druidæ & Bardi*, aliorumq; alii, † veteribus librorum monumentis celebrantur. Hinc etiam Persarum gentem florentissimam non parum illustrarunt viri illi in cœli, syderum, naturæq; cognitione excellentissimi, quos *Magos* appellavere. Neq; enim tum tem-

† Videatur Otho Gualpterius Sylloge vocum exoticar. pag. 9.

 poris

poris nomen istud infame fuit, aut inhonestum, quemadmodum nunc quidem ii hoc indigetantur vocabulo, qui ope Diaboli illius μισανθρώπου καὶ θεομάχου, † qui cùm fœdus etiam inire non recusarunt, mira sæpè efficiunt: verùm honoratæ professionis iste erat titulus, iis competens, qui tum in aliis Philosophiæ partibus essent exercitatissimi, tum in Naturæ abditissimis mysteriis ita versati, ut ex his multa multis stupenda visá colligere ac conjicere potuerint. His igitur tum religionis, tum regionis cura incubuit. Sacrorum enim interpretes, ceremoniarumq; quasi modiperatores quidam fuêre *Magi*, sine quibus nulla cæsa fuit victima, nulla peracta sacrificia. In regni verò imperiiq; totius administratione usq; adeò illi floruêre, ut non modo *juniorum Principum pueritiam ac juventutem informarent*, verùm etiam consiliorum regiorum omnium non participes, non socii, non ministri duntaxat, sed duces etiam & moderatores essent. Hinc apud Xenophontem* *Cyrus Rex*, Babylone occupatá, iis operatur diis, quibus *Magi* sacri fieri voluissent. Hinc Cicero de L. L. Xerxem *Majorum* consilio meminit Græ-

† ita nominati Basilio.

* lib. 7.

Greciæ templa concremâsse, quòd deos parietibus concluderent, quibus hic mundus templum esset. Cui quidem *Magorum* auctoritati, existimationi, potentiæq; summæ, nemo fortaßè facilè invideret, nisi eâdem ii superbißimè fuissent abusi. Nimiâ enim dominandi cupiditate incensi, imperium Persicum invadere, & fraudulenter occupare ausi sunt, cùm Cambyses Rex è vitâ excesisset. Quod tamen, ut *infelix est ambitio*, pessimè iis cessit. Dolo enim cognito, *septem Persarum principes* conjuratione factâ, stricto ferro *Magos* adorti uno die oppresserunt; in cujus rei memoriam celebre deinceps apud Persas festum institutum fuit, quod ab occisione isthac μαγοφονίαν dixêre. Maximè verò memorabilis, & illustris vereq; regii exempli loco habenda est illa institutio, quâ Monarchæ Persidis filios suos *ad sapientiam, justitiam, modestiam, fortitudinemq;* assuefieri ab adolescentulis curârunt. De hac in Alcibiade suo summus ille intelligendi pariter & dicendi magister Plato, & ex eodem Petrus Crinitus lib.1. de honestâ disciplinâ hæc ferè commemorant,

Quam-

Quamprimum ſobolesregia annum ætatis quartum atq; decimum incepit agitare, quatuor viri ex universâ gentis multitudine ſeligebantur, qui laude eruditionis, virtutumq; præter cœteros florerent: His commendabatur Rex junior informandus, ſed non ſine prę́ſcriptione ordinis, officiorumq; diſtributione ſingulari: *Primus enim profitebatur Magiam*, hoc eſt, Platone interpete, τῶν θεῶν θεραπείαν ſive *deorum cultum*; & πολιτικὰ, hoc eſt, *inſtituta Regia*. *Secundus* in eam mentem graviſſimè impellere Principem adoleſcentem nitebatur, *vt veritate nihil in omni vita antiquius haberet*. *Tertius* porrò amorem, iram, gaudium, mœrorem, *omneſq́, animi impetus coercendos* ac frenandos eſſe regi contendebat, utq; in hanc ſententiam adduceret, quem erudiebat, omnibus modis nitebatur. *Quartus* deniq; ut ullâ in re animo timido, atq; abjecto alumnus ſuus eſſet, ſaluberrimis præceptis *fortitudinem & heroicos ſpiritus inſtillabat*. Videtis, *Auditores*, ſpecimen admodum laudabile principalis educationis. Nam quòd *primò* tenerum Regis animum in eâ ruditate atq; rerum ignorantiâ, *in quâ omnes naſcimur*, manere non paſſi ſunt, ſed optimarum, maximarumq;

rumq; disciplinarum preceptis excoluerunt atq; expoliverunt: in eo & intellexisse ipsos, & secutos esse apparet, quæ apud Platonem scripta sunt divinitus:

Publica res esset tùm fortunata satis, si
Aut saperent Reges, aut regnarent sapientes:

Uti quidem hanc Philosophorum principis sententiam extulit poëta Christianus Prudentius.† Unde verò rectiùs informationem illam amplissimam exordiri potuissent, quam à *magiâ*, hoc est, religionis ac sanctimoniæ studio? cujus curam qui à Regibus ac Magistratibus abesse posse statuit, is eo ipso ab intelligentiâ longissimè se abesse, innuit. *Princeps futurus* (legem Biantis Greciæ sapientissimi recito) *religiosus esse deorum immortalium cultor, & ædium sacrarum patronus summus: bis singulis septimanis supplicatum diis ito, & templa visitato.** Sed cùm à divinis cultibus, sacrisq; ceremoniis discessum est, proximus meritò locus *doctrinæ* tribuitur *politicæ*. *Sicut enim, qui nauta futurus est, omnem maris navigationumq; rationem prænoscat necesse est, ut & ventos moderari, & quasi gubernare, & tempestatibus obsequi, optataq; velificatione, quo velit, pervenire possit: ita qui feliciter, & ex sententiâ Rempubl. gesturus est, maturè de omni impe-*

randi

† lib. I. contra Symmach.

* Christoph. Pelargus, præfatione in Numeros Mosaicos.

randi munere, de regionis, urbium, totiusq́; populi indole, de vi temporum, de varietate rerum atq; eventorum, de consiliis, legibus, de præmiis, de pœnis, de sexcentis aliis, admonendus fideliβimeq́; instituendus est. Quod si non fiat, quid mirum, si illud contingat, quod poëta Megarensis {πάντας κατ' ἀνθρώπους ὀνομαστός†} in gnomis suis scripsit*

† Theognis, v.23.
*idem v. 853.

Πολλάκις ἡ πόλις ἥδε δι' ἡγεμόνων κακότητα,
ὥσπερ κεκλιμένη ναῦς παρὰ γῆν ἔδραμε.

*Sæpè perit propter stolidum Respublica Regem
Ad terram impingit ceu malè ducta ratis.*

Quam præclarè verò illud etiam institutum fuit, quod *Magistrorum illorum regiorum secundus;* Generosi sui discipuli mentem à mendaciorum turpitudine abducere, amoreq́; Candidæ illius virtutis, *Veritatis,* imbuere, omnibus conabatur nervis. Si enim cuiquam laudi datur,

†Homerus Iliad.ξ.

- - ἐτεόν γε καὶ ἀτρεκέως ἀγορεύειν,†
id est. ex animo & verè loqui:

Principem certè virum, & decet, & commendat admodum, à vanitate esse alieniβimum, pactis conventisq́; stare, perfidiamq́; cane pejus, quod dicitur, *& angue odisse.* Quo nomine non sine singulari solidaq́; laude, gratißimoq́; encomio omnis posteritas

colet

colet atq; devenerabitur *Divum illum Imperatorem*, cujus

PLUS ULTRA *Herculeas exivit fama columnas*,† CAROLUM V. intelligo. Hic enim à quibusdam instigatus, ne fidem, quam *Luthero*, illi nimirum salvivicæ fidei assertori acerrimo atq; alacerrimo dederat, servaret: verbis *tanto Cæsare* dignissimis respondit: *Fides rerum promissarum etsi toto mundo exsulet, tamen eam apud Imperatorem consistere oportere.** O verè augustã, & propè divinam vocem. Imitamini exemplũ, imitamini, quotquot & quiq; estis Magnates, terrarũ gentiũq; Domini, nec audite eos, *qui hæreticis* (uti odiosè appellãt) *fidem datam violare* usq; adeo nullũ esse scelus persuadere conãtur, ut virtutis etiam titulo ornare rẽ non vereantur. Illud audite, sed & auscultare, quod apud Dionysium Halicarnasseũ† scriptum est, Πίστεως οὔτε μεῖζον, οὔτε ἱερώτερον πάθος ἀνθρώποις οὐδὲν. *Fide nulla res apud mortales major aut sanctior est.* Verùm & hæc, & alia simul, quæ pluribus in commendationẽ educationis istius Persarũ regibus propria dici possent, abscindo: & ad id, quod unicũ nunc in hac dissertatione restat, paucissimis absolvẽdum, propero. Id verò est de *deliberatione & consiliis inter pocula apud Persas habitis:*

† Borbonius Cæsare 194.

*Guliel. Zenocarus in vitâ Caroli V.

†lib. 2.

Quem

Quem quidem morem parens ille historiæ mellitissimus Herodotus† ita descripsit: *Solent Persæ poti de rebus maximè arduis consultare, quodq; variis variè libratis expensisq; sententiis, visum fuerit utilissimum, decernere. Postero die illarum ædium Dominus, in quibus convivæ consilia ceperant, acta & deliberata denuò proponit; & velintne jubeantvè id fieri, quod pridiè placuisset, interrogat.* Si sobriis etiam

† lib.1.

——— ὅτις τοῦδε νόον καὶ μῆτις ἀμείνων,*

* Homerus Iliad.o.

Sententiâ illa consilioq; nihil videtur melius: exsequuntur: sin displicet decretum, abrogant, & quasi in vino scriptum relinquunt. Quęritis, *Auditores*, quid de instituto hoc sentiendum sit. Equidem uti magnoperè nunc hoc nomine non laudabo Persas, cùm *sobrium jejunumq; caput consultationi videatur aptius:* ita nec omnimodè hanc improbandam duco consuetudinem. Neq; enim ad eam usq; temulantiam dilata crediderim consilia, quæ spiritibus cerebroq; turbatis & quasi obfuscatis,

Errore involvit lingvæq; animiq; tenorem;

ita enim planè nulla haberi potuisset deliberatio, nullus sententiarum delectus, nullum judicium: sed ebrietatem istam hilaritate solâ metior, quâ nempè bibebāt

con-

convivæ, ὅσον ἤθελε θυμὸς, *quantum cuiq; commodum erat* : quemadmodum ista verba aliquoties apud Homerum reperiuntur: qualis *Poetarum* etiam fuit *ebrietas*, qui tum optimos se posse versus componere arbitrati sunt, cum vino incaluissent: Id quod Horatius de Ennio præter alios testatur:

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda.

Sed ne nudis tantum conjecturis aut vanis opinionibus niti videamur, exemplis etiam Persarum probare possumus, vino se quidem invitâsse largius, ita tamen, ut sensuum mentisq; judicium læsum non fuerit. Nota est *Cambysis historia*, quem cùm apud Persas propter vinolentiam malè audire Prexaspes dixisset, ut judicium hoc populi vanitatis ac falsimoniæ argueret, simulq; indicaret sibi & rationes, & membrorum vsum esse integerrimum, Prexaspis filium in vestibulo stantem parte cordis mediâ, quâ se tacturum texerat, sagittâ vulneravit, crudelissimeq; interfecit, ut in *Thaliâ* suâ annotavit Herodotus. Sed & de Dario, admirandus polyhistor Atheneus, & de Cyro

Minore, gravissimus author Plutarchus in Vitis refert, quod οἶνον πίνειν πολλὼ, καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς, *vinum multum bibere, illudq́ pulcrè perferre*, potuerint. Hoc igitur modo poti, quàm sobrii consilia exponere, communicare, atq; expendere maluerunt, ut deliberationes omnes sine fuco, sine fallaciis, sine simulationibus & dissimulationibus susciperentur. Qui jejuni sunt, nondumq́; iis spiritibus, qui ex ciborum potionumq́; refectionibus orti, corpus mirificè vegetant, instructi & recreati, multa sæpè in consultationibus vel ex metu, vel ex adulatione solent fingere, nec apertè cogitationes suas in medium proferre audent: *At quibus Liber ille pater & mentem curis timoreq́ solvit, & vultum hilaritate diffudit, ii uti in corde sentiunt, ita ore eloquuntur, omnia* κάτοπτρον γὰρ εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ. Speculum æreum formæ, vinum mentis est index, ut apud Athenæum† dicit Pittacus. Et meritò *negavit Persa quidam, tormentis fidiculisq́ ad verum exquirendum opus esse, cum vino id citius rectiusq́ possit elici.* Quæ res vulgatæ Adagioni ansam præbuit, quâ *in vino veritatem* reconditam perhibemus: quam adagionem Ovenus* poëta inter Epigramma-

† lib. 10.

* lib. 1. Epigram. 18.

tum

tum ſcriptores facilè princeps, feſtivo, ut ſolet, joco, ad *Germanos, quorum* propè

——— *vivere, nunc bibere eſt,*

ut alius vates † cecinit, tranſtulit hoc diſticho: † Taubman. Sched. p. 373.

Si latet in vino verum (ut proverbia dicunt)
Invenit verum Teuto, vel inveniet.

Sed quid plura diſputo; cum ea ipſa, quæ Perſas, ut idem & convivandi & conſultandi tempus haberent, adduxit, alios etiam populos commoverit, ut non aliâ ratione de rebus ſeriis diſquiſiverint. Teſtis eſt ille ingeniorum fons, & antiquitatis parens Homerus, * apud quem Neſtor & Agamemnon cum Achivorum ſenioribus cõſilia de pacando Achille, & de legatis ad eum mittendis, tum agitare incipiunt *Iliad.

-- ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο, id eſt,
Poſtquã epulis exempta fames, menſæq; remotæ.

Teſtis eſt ille annalium ſcriptor eruditus & elegans Cornelius Tacitus, qui in eo libro, quem de Germanorum Moribus cõfecit, hæc de maioribus noſtris aſſignavit: *De reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace deniq; & bello plerunq; in conviviis conſultant; tanquam nullo*

magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens non aſtuta, nec callida aperit adhuc ſecreta pectoris, licentiâ loci, Ergo detecta & nuda omnium mens poſterâ die retractatur, & ſua utriuſq; temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere neſciunt: conſtituunt, dum certare non poſſunt. Intelligitis, *Auditores*, eundem in conſiliis obſervâſſe Morem, Perſas, & priſcos illos Germanos, ex quorum proſapiâ nos procreati ſumus: cujus mons veſtigium adhuc aliquid in *noſtrâ etiam patriæ Curiâ* ſupereſt, in *electione* ſcilicet *novi Conſulis*: de quo equidem malo Poëtæ doctiſſimi *Georgii Tileni*, Conſiliarii quondam Olſnēſis carmine, quâm meis verbis dicere, atq; ita orationem hanc finire ac concludere.

† pag 558. Ille igitur ſic:†

Conſilium quando regni de rebus haberent,
Quos penes arbitrium Perſidos orbis erat.
Dulcia principio libabant munera Bacchi,
Ad ſeriem paterâ circumeunte patrum.
Elyſiæ ſimilem Budorgis curia morem,
Cūm mutat vicibus penſa peracta, colit.
Nam ſua decedens ſubituro in munia Conſul,
Præbibit undantem rore rubente ſcyphum:
Aureolumq; viri digitis accommodat orbem,
Publica qui certis roborat acta notis.

Ritus

Ritus hic & sensu gravis est & tempore: Bacchus
Vim fovet ingenii fœderibusq́ favet.
Scilicet hæc felix stabit Respublica, firmam
Quæ pactis servat consiliisq́ fidem.

Hæc fuêre, *Auditores selectissimi, dilectissimi,* quæ de institutis Persarum, quantum pro ratione temporis licuit, volui disserere; & jam supremum illud DIXI, usurpare & possem, & vellem, nisi prius officii gratia quosdam sub finem mihi compellandos viderem. Quapropter id nunc faciam; sed brevissimé, & quasi tribus verbis; Tibi igitur, *AEterne, Præpotens, Provide, Opt. Max. Deus, naturæ auctor, parensq́ sapientiæ, & omnium bonarum rerum,* tibi toto pectore, plenoq́; ore ago gratias, quod non solùm ab ipso hujus aspectabilis pulcerrimisq; Mundi exordio, artes humanitatis, earumq́; officinas utilissimas scholas fovisti, ornâsti, conservâsti; verùm etiam *Cæsaream hanc & Regiam Breslam;* patriam nostram suavissimam, tum aliis dignitatibus, tum inprimis *Gymnasii celeberimi, aliorumq́ benè constitutorum ludorum* laude inter plurima oppida tantum eminere clementissimè voluisti:

Qvantum nana solēt inter fruticeta cupressi,† Prçcipuè verò, quod, præter alia, magni-

† Taubman. Sched. p.261.

tudine ingentia, multitudine innumerabilia merita, in omni vitâ mihi exhibita, ad provinciam in Gymnasio hoc primariam, per patronos ac Dominos meos benevolos ac legitimos, vocare dignatus es. *O pater, agnosco munus id esse tuum.* Si quid sum, tuo beneficio sum; si quid valeo, tuâ ex gratiâ valeo: nihil enim in me est, sine tuo numine: Te igitur veneror; & quantum possum, obsecro, faveas porrò studiis atq; occupationibus meis, eaq; ad nominis tui gloriam, ad dignitatem patriæ, ad utilitatem juventutis dirigas. Laborantem me preveniat spiritus tuus sanctissimus: comitetur tuum auxiliū, subsequatur tua clementia. Move intellectum meum, ut recta sapiam, flecte linguam meā, ut necessaria eloquar: prepara animos discentium, ut salutaria discant, rege ipsorum aures, ut benè monentium preceptis obtemperent, & à teneris id imbibant, *veram hanc esse libertatem, parere* Deo *& legibus.* Defende etiam & propugna agmen tuum electissimum, quod *te, Filiumq; tuum cum sacro Spiritu*, ut æquum est, veretur & metuit, nec sinas ab hospitibus tuis & nostris, manifestis & occultis, divinissimi tui verbi lucem extingui, aut homines eius-

ejuſdem unius ductum ſequentes, impunè occidi, ut totus mundus intelligat, à te habitam eſſe rationem ſalutis Eccleſiæ. *Cæſarem* porrò, & *Regem*, & *Principes*, & *Senatum noſtrum* ſpiritu pietatis, ſpiritu ſapientiæ, ſpiritu juſtitiæ, ſpiritu fortitudinis, imbue, indue, inſtrue, ut ipſorum cōſilia atq; acta omnia à *Bonâ Mente*, proficiſcantur, & in *Bonum Eventum* terminentur. Deniq; quicquid vel univerſæ ſocietatis hominum commoda turbare & intervertere, vel inprimis greges hos docentium diſcentiumq; diſſipare aut peſſundare aptum natum eſt, uti eſt

——— *Bellum, Peſtiſq;, Fameſq;,*

clementiſſimè avertas, ludoſq; litterarios, & qui in iis officii cauſa verſantur, eò uſq; florentes in hoc orbe conſerves, donec olim *ex his verè particularibus ſcholis, in illam verè univerſalem Academiam*, cujus *ſupremus Rector, & perpetuus*, Sacroſancta Trinitas eſt, cujus *album vel matricula*, Liber Vitæ, cujus *Cives*, Angeli: & beati homines, cujus *Profeſſio*, unum illud τρισάγιον Sanctus Sanctus Sanctus: transferamur. Sed penes DEUM, hominum etiam eorum, qui vel benignitatē, vel favorem, vel benevolentiam, vel officium ſuum abundè nobis probaverunt,

voluntas grato animo agnoſcenda eſt. Quod proinde *Auditores omnium ordinum florentiſſimi*, actum hunc *introductionis meæ* pręſentiâ atq; attentione veſtrâ honeſtare atq; exornare dignati eſtis, tantum me vobis hoc nomine debere & intelligo & profiteor, quantum magiſtratui, ſubditum, patrono clientem, Collegæ Collegam, Amico amicum, & deniq; pręceptorem diſcipulo debere fas eſt: Faxo, ſi potero, ut ſuo quiſq; loco, ſe gratum quid mihi pręſtitiſſe, lætari poſſit. Singulariter verò, & cum juſtâ honoris atq; obſervantiæ pręfatione compellandi mihi eſtis, *Viri Magnifici, Strenui, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Patres patriæ*, qui non ſatis eſſe exiſtimâſtis, commemorabili veſtrâ munificentiâ, & incredibili favore, florentem me ſuperioribus annis effectum eſſe, niſi etiam hoc addidiſſetis beneficium, & ad honeſtiſſimum hunc in noſtro Gymnaſio locum evexiſſetis. Quid plura cumulem, *Patroni benigniſſimi, Domini obſervandi?* hoc unũ & dico, & verum eſt: Tanta veſtra ſunt merita, ut -- *nunquam*

Ovid.15.Metamorph.

Eſſe ſatis poſſim; præſtem licet omnia, gratus. †

Nihilominus tamen, ut vobis de voluntate conſtet meâ, hunc animum *uti is Opt. Max.*

Max.q; *est* vobis offero, is semper & vestrę salutis laudisq; erit cupidus, & vestrę amplitudinis observans, & vestris jussibus, tum in omnibus, tum in concrepitâ hac scholasticæ professionis provinciâ, obœdientissimus: in quâ nullum me officium prçceptoris dignissimi, & fidelissimi prętermissurum, ita sanctè vobis polliceor, uti eâ solemus promittere, quorum fides sine singulari scelere atq; maleficio rumpi violariq; non potest. Verùm enimvero cum *unus vir, nullus vir;* & in talis Gymnasi administratione plurimorum cōjunctam operam ipsa efflagitet necessitas, tertio jam loco ad vos me converto, *Collegæ exoptatissimi, Honoratissimi, amicissimi:* Vobis constantem amoris & παραστάσεως fidelitatem, idq; omne, quod officii consorti consors debet, offero, eandem & à vobis benevolentiam petens, & expectans. *In amplissimo sacerdotii collegio non modò amicitiam violari apud majores fas non erat, sed nę cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus,* scribit in Epistolis ille Romanæ eloquentiæ phœnix Tullius. † Si hoc Ethnici habuêre pensi, quid Christianis faciendum fuerit collegis, quorum aures Davidicum * illud, *Ecce*

† lib.3. Famil. Epist 10.

*Psal. 133.

quam bonum & jucundùm, frequentissimè circumsonat? præsertim cùm tantum in pace & consensione unanimi sit commodi, tanta in inimicitiis pernicies, ut παρῳδικῶς, sed verè, ita dici possit: *Concordiâ Scholæ parvæ crescunt, Discordiâ Gymnasia maxima dilabuntur.* Sed cum de his ex hoc ipso loco ante annum *& plura, & erudita proposita fuerint*, † & verò de vestri animi candore, benevolentiâ, & amore nullus dubitem: à vobis jam ad discentium cœtum animis & studiis florentissimum propero. Vos igitur, *ò adolescentes, Ecclesiæ, Curiæ, Scholarum, omnisq́; vitæ spes & seminarium*, ita de me sentire volo, ut nullam mihi in omni vitâ rem tam forè propositam certò vobis persuadeatis, quàm ut meâ etiam qualicunq; operâ evadatis, pii, honorati, &, ut cum Theognide* dicam: ἐσθλὰ παρ' ἀνθρώπων ϗ καλ' ἐπισάμενοι. Vos modò ne vobis desitis ipsi; nec annos istos opportunitatemq́; studiis aptissimã, sine fructu præterlabi patiamini. Non verò frustra anni hi præterlabentur, si & sanctimoniæ studueritis, & disciplinam amaveritis, & diligentiam commendatissimam vobis esse volueritis. Si nunc non intelligitur, do fidem, olim intelligetis,

† à Thomâ Sagittario Rectore Q.

* Versu 652.

getis,

getis, *quantæcunq; vobis accessiones fient & fortunæ, & dignitatis, eas vos non potuisse consequi, nisi juvenes olim præceptorum vestrorum fidelissimis atq; amantissimis consiliis paruissetis.* † Sed & hos Taubmanni * Poëtarum ut festivissimi, ita cultissimi versiculos intelligetis esse verissimos:

† Ex Cicerone, paucis mutatis, l.2. Fam. Ep.1.

* Schediasm. p.550.

Non felix temerè ullus invenitur,
Cui sunt ludibrio sui parentes
Parentumq; Vicarii Magistri.

D I X I.

M. ELIÆ MAIORIS,

Pro

M. Georgio Seidelio

ORATIO,

Cui præmissa

INTIMATIO.

Lecturis Salutem & Officia.

QVæ istorum *actuum scholasticorum*, quos intimamus, causa sit & ratio, paucis esse significandum arbitror. *Biennio hoc* proximo sępius factum est, ut in cõversatione cum fautoribus aut amicis,

cis,

cis, viris honoratiſsimis & doctiſsimis, tum alia de ſcholæ noſtræ ſtatu interrogarer, tum hoc potiſsimùm, ſuperaretnè adhuc, & quid rerum ageret *Clariſſimus vir, Dominus M. Georgius Seidelius*. Reſpōdebam ego, quòd *res erat*, & ſuperſtitare eū, & provinciâ ſuâ ſcholaſticâ *in ſenio hoc*, maturo licet, vegeto tamen, fideliter etiamnum fungi, cuius ipſius functionis annus quinquageſimus propè eſſet, ut impleretur. *Mirari homines*, ii potiſsimum, qui peregrè advenerant, & jamdudum ad plures abiiſſe *Seidelium* opinati fuerant; mirari, gaudere, gratulari. Quibus ego cum dicerem, eſſe mihi in animo, ſi quidem tam diu victurus eſſem, diem illum, quo *annum quinquageſimum muneris ſui publici* completurus eſſet, oratione aliquâ habitâ, tanquam *albo lapillo*, ſignare: omnibus modis hoc *inſtitutum meum* optimi illi viri approbabant, utq; ita ſuo tempore facerem, me cohortabantur. Quid multa? *Promiſſum*, ut ajunt, *cadit in debitum*: & præſtanda mihi nunc tandem eſſe video quæ linguâ nuncupavi ſępius. Inſtat enim jam *dies quintus Calendas Octobres*, quo ante ipſos quinquaginta annos is, quem nominabam, *Clariſſimus Seidelius*, munus

iſtud

istud scholasticum, quod adhuc non sine singulari laude sustinet, capessivit. Quapropter & eum solemnem diem, σὺν θεῷ, ego orationis gratulatoriæ honore mactabo; & precedentes aliquot, *juventutis nostræ exercitiis* impendam: quæ qualia futura sint, ex subjectâ delineatione erit cernere. Etsi autem scio de rebus etiam bonis solere sinistra ferri judicia, assentiorq; *Caspari Barthio*, † hujus seculi miraculo, ita scribenti: Hoc seculum tum demùm sibi celsius sapere videtur, cum alios deprimi non spero tamen fore, ut hoc nomine quispiam me reprehendat aut vituperet. Quis enim hoc honore qualiscunq; est, *Dn. Seidelium*, personam scholasticam, dignum non esse existimet? Ergonè tam vilis conditionis simus, qui juventutem instituimus? Vindicet honorem nostrum *Erasmus Roterodamus*:* Ille ita: *Ludi litterarii magistrum esse, proximum regno munus est. An tú putas sordidam esse functionem, primam illam ætatem tuorum civium optimis litteris & Christo statim imbuere, totq; probos & integros viros patriæ tuæ reddere: Stultorum opinione humilius est; re longè splendidissimum. Etenim si Ethnicis quoq; semper præclarum magnificumq; fuit de Republica beni*

† Præfatione Tom. 1. Adversariorum.

* Epistolâ ad Ioh, Sapidũ.

benè mereri, dicam audacter; nemo melius de eâ meretur, quàm rudis pueritiæ formator, modò doctus & integer. Hæc Erasmus. Sed fortè in hac re, à nobis peccatum est, quod plures his exercitiis destinaverimus dies. Si peccatum est; magnoperè maximi viri erraverint necesse est, qui tantis elogiis stili exercitationes ornaverunt, totóq; verbis juventuti commendaverunt, ut nihil ornari aut commendari magis queat. Adducerem istius modi testimonia, nisi alibi hoc â me factitatum esse, recordarer. Unum tamen, quin recitem, non possum facere. Dicit *Antonius* † *apud Ciceronem*. Consuetudo exercitatioq; & intelligendi prudentiam acuit & eloquendi celeritatem incitat. Verum enimverò an non de mentibus nos essemus finitimi, qui magnos illos in emendandis hujuscemodi exercitiis labores suscipimus, si hæc res ad eruditionem non magis faceret, quâm canis ad balneum?* Sed aliter statuendum esse, *ipsa experientia me docuit, & docet.* Pluribus enim exemplis didici, mirificè in litteris, immò & in moribus profecisse eos Adolescentes, qui hisce exercitationibus mirificè fuêre dediti.

† lib. 2. de Orat. Com. 210.

* Videatur Erasm. Adagiis p. 145.

Verùm

Verùm haud ſcio an magis hoc ſim probaturus æquis rerum cenſoribus, ſi virorum eruditorū & ſapiētum de his noſtratibus actibus ſcholaſticis honorifica judicia adducam. Si enim neceſſe eſſet, plures poſſem nominarē viros optimos & doctiſsimos, qui acceptis aliquot programmatis talibus, quibus hæc exercitia nunc temporis indici ſolent, ſcholæ noſtræ de hac felicitate (ſic enim appellârunt: & eſt profectò hæc felicitas, aut ego fortaſsè fallor judicii) maximē gratulati fuerint. Sed quid ita pugno, cùm adverſarius mihi ſit nullus, plurimi contra *fautores optimi maximi?* Viri *nimirum Magnifici, Strenui, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Reverendi, Excellentiſſimi, Clariſſimi, Spectatiſſimi, Humaniſſimi*; qui quid ſentiant de his juventutis litterariæ exercitiis, ſatis declarârunt hactenus, honorificentiſsimâ ſuâ præſentiâ, & attentione benevolentiſsimâ congreſſus noſtros ſcholaſticos decorando & exornando. Quibus ut hoc nomine immortales agimus gratias; ita (quod hujus ſcriptionis caput ſit) ab iiſdem pro ſtudiis communibus petimus, ut hunc honorem *venerando Seni, Domino Seidelio*, totiq; rei litterariæ habeant, meamq; & adole-

ſcen-

centum nostrorum orationes benevolè audituri, horis adsignatis, ad *Musas nostras* visant. Ita solidam & grandem â nobis inibunt gratiam, qui *tantam prothymiam* omnibus studiis & officiis, pro virili, cõpensare nitemur. P.P. *Uratislaviæ*, Anno Christiano cIↃ IↃC XXIV. *Dominicâ filii viduæ in vitam revocati*, x. Calendas Octobres: qui dies olim ante annos cIↃ IↃC XLII. poëtarum Principi *Virgilio emortualis* fuit.

Designatio Personarum & Argumentorum.

IN PRIMO ACTU.

23. Septemb. ☽ horis pomeridianis habendo

Vox, PRAECEPTOR, deducetur per 10. Locos quęstionis simplicis in genere Didascalico, non ita pridem publicè explicato.

Personæ sunt sequentes.

Christianus Pollio Uratislaviensis, Pro-

 logus.

logus, exemplo Ciceronis, hominis adversus prçceptorem suum Archiam gratissimi, ad rem prçsentem accommodato; auditorii attentionem & benevolentiam dicturis conciliabit.

Augustinus Barthēschlag Namslaviensis, Henricus Mülpfort Uratislaviensis. Johannes Fock Uratislaviensis, Michaël Scholtz Uratislaviensis, Johannes Gebhardus à Gartz, Wilhelmus Krichel Uratislaviensis, Martinus Willer Uratislaviensis. Sebastianus Müller Uratislaviensis,	tractabit	*Quid vox significet.* *An sit, & Quid sit.* *Quæ partes, & Quæ species.* *Quæ causæ.* *Quæ effecta.* *Quæ adjuncta.* *Quæ cognata.* *Quæ pugnantia.*

Christianus Rosa Lipsiensis Epilogus; adductis quibusdam in medium, quæ difficultatibus scholastici muneris opponenda sunt, Auditoribus aget gratias.

In se-

In ſecundo & tertio actu 24. Septemb. ♂ & 25. ☿ itidem pomeridianis horis habendo,

Recitabuntur carmina gratulatoria, maximam partem heroica, inſperſa tamen unâ & alterá elegiâ, & uno germanico carmine. Argumentum carminum multiplex: quæ tamen omnia in gratulationem ad Dominum Seidelium directam, deſinunt.

Perſonæ ſecundi Actûs.

Johannes Frümel Uratislavienſis, Prologus, pręmiſſâ commendatione ſtudii Poëtici, auditorii favorem & attentionem captabit.

Fridericus Scultetus Hirſchbergenſis, Bivium Herculis repręſentabit.

Chriſtophorus Poll Uratislavienſis, laudabit Dn. M. Seidelium.

Pancratius Heinius Hirſchbergenſis, recitabit Eclogam.

Jacobus Berlogius Fridebergenſis, recenſebit leges Scholæ Uratislavienſis, eas, quæ ad parietem in veſtibulo Ordinis, ut vocant, tertii Scholæ Elſabethanæ æri inciſæ ſunt.

Melchior Cörnerus Hirſchbergenſis, non ſine encomio enumerabit complures patronos ſcholarum.

Nicolaus Freier Uratislavienſis, tractabit tritam ſententiam, DEO, Parentibus, & Prçceptoribus non poteſt reddi æquivalens.

Jacobus Preibiſius Boleslavienſis, laudabit vitam lougçvam, Latinis; & auctorem Scholarum, Germanicis verſibus.

Paulus Kehr Uratislavienſis, Epilogus, prçmiſſâ cohortatione juventutis ad diligentiam, occaſione captatâ à prçſenti æquinoctii autumnalis tempore, auditorio perſolvet gratias.

Perſonæ tertii Actûs.

Lucas Engel Uratislavienſis, Prologus, paucis præmiſsis, de mediocritate inter nimiam ſeveritatem, & nimiam lenitatem â parentibus & prçceptoribus obſervandâ, auditores, ut carmina recitaturos, bonâ cum veniâ audiant, rogabit.

Godofredus Frenelius Uratislaviensis. tractabit dictum Solonis; Multa addiscens, senesco.

Georgius Reisel Hirschbergensis, laudabit doctrinam.

Samuel Fischer Hirschbergensis, laudabit Scholas.

Benjamin Knobloch Jauranus, Ostendet educationis usum & necessitatem.

Stanislaus Kluge Nissensis, Antithesin exponet boni & mali scholastici.

Johannes Zimmerman Bregensis, Caussas aliquot corruptarum scholarum explicabit.

Martinus Rottman Jauranus, Voto prosequetur Dn. Seidelium.

Michael Kabirschky Gossendorffensis. Johannes Ostius Uratislaviensis. Georgius Colhardus Losnicensis Misnicus. Sigismundus Bucher Uratislaviensis.	Hortum & scholas comparabunt.

IN QUARTO ACTU.

Die 26. Septembr. 7 horis post sacras preces matutinis habendo.

Fridericus Eben Vratislaviensis, prologus, præmissâ tractatione quęstionis de longævitate Patriarcharum Aboriginum, quo ad τὸ ὅτι, auditorum benevolam auscultationem dicturis cōciliabit,

Christianus Albertus Hirschbergensis, Ciceronis Catonem, seu Librum de Senectute, in lingvam vernaculam â se conversum recitabit.

Johannes Albertus Vratislaviensis, Valerii Maximi libri octavi, caput decimum tertium, quod est de senectute memorabili, in lingvam vernaculam â se conversum, recitabit.

Heinricus Eben Vratislaviensis, Epilogus pręmissâ tractatione ejusdem quęstionis de Patriarcharum longævitate, quo ad τὸ διότι, auditorio gratias persolvet.

IN QUINTO ACTU.

Die 27. Septemb. ♀ (quo ipso die ante ipsos annos 50. CL. Dom. Seidelius provinciam in hac scholâ docendi capessivit) horis à primâ pomeridianis habendo,

Abraham Seiler Vratislaviensis Junior, Prologus, ex hoc loco libri tertii Officiorum Ciceronis. (Sustines non parvam expectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, non nullam fortasse nominis: suscepisti onus præterea grave & Athenarum, & Cratippi: ad quos cùm tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus; inanem redire turpissimum est, dedecorantem & urbis auctoritatem, & Magistri: quare quantũ conniti animo potes, quantũ labore contendere, si dicendi labor est potius, quâm voluptas, tantum fac ut efficias: nevè committas, ut cùm omnia suppeditata sint à nobis, tute tibi defuisse videare) significabit, sex aureas discendi regulas excerpi posse:

Quarum priores tres ipſe tractabit, breviq; accommodatione factâ, auditores benevolos attentoſq; reddere conabitur.

M. Elias Major Uratislavienſis, oratione bipartitâ, primum Exempla quędam eorum afferam, qui diutius officiis fuêre functi deinceps ſępius jam laudato Dn. Seidelio, olim-*Præceptori*, nunc-Collegæ colendo, gratulabor.

Sigiſmundus Kretſchmar Uratislavienſis Epilogus, poſteriores tres aureas regulas diſcendi, ex loco illo Ciceronis elicitas tractabit, & deinceps collaudato Auditorum favore & ſtudio, iiſdem debitas aget gratias.

Con-

C*onvenite ad Ludos spectandos, quos neq; spectavit quisquam, neq; spectaturus est.* Liceat enim, *Auditores, Magnifici, Generosi, Strenui, Nobilissimi, Amplissimi, Reverendi, Excellentissimi, Clarissimi, Doctissimi, Humanissimi.* Liceat, inquam, mihi orationem hanc exordiri à voce seu carmine Preconis Romani, ad *ludos sæculares*, solenni more populum invitantis.

Nam inter Romanorum ludos cæteros, fuêre etiam qui *sæculares* dicebantur, quod nempe semel tantum in uno *sæculo*, atq; in unâ hominum ætate celebrarentur, unde fieri vix poterat, ut ludos istos unus homo bis videret. † Quapropter adhibebant quoq; illam Preconis vocem, quam nunc dixi, quamq; prestantissimus seculi poëta Taubmanus * hoc expressit disticho,

† Videatur B. Brissonius l. 8. Formul.

* Schediasm. pag. 71.

Quantum est cunq; hominum, spectatum accurrite ludos,
Quos vestrûm nemo vidit, quos nemo videbit.

Hoc carmen cur sermoni meo premiserim, ne quis miretur, causam mihi exponendam esse intelligo. Qui quatriduo hujus septimanæ celebrati sunt congres-

ſus ſcholaſtici: ii omnes prodromi ſeu anteambulones fuerunt *actus hodierni ſecularis, aut ſeculari certè finitimi.* Hic enim dies eſt *V. Calend. Octobres,* quo ut ex Programmate, intelligere potuiſtis, *Auditores Benevoli,* Clariſſimus, Spectatiſſimus, Humaniſſimusq; Vir, *Dominus M. Georgius Seidelius,* quem pręſentem hîc intuemur, cujus vultum & caniciem cernimus, *ante ipſos annos quinquaginta* provinciā hanc ſcholaſticam informandi adoleſcētes, bono cum Deo, ſuſcepit. In cujus ſingularis rei memoriā cùm hæc nunc inſtituta ſit ſolemnitas, nec verò vel ego, vel alius facilè dicere poſſit tales ludos in ejuſmodi finem inſtitutos, ſe vidiſſe antea, meritò illius carminis veteris prior pars hîc uſurpari potuit. Sic inquam prior pars. Nam de poſteriore non laboro admodùm: & fieri fortaſſe poſſet, ut ſecuturis annis ſimile exemplum ſimilibus actibus inſtituendis anſam ſuppeditet. Futurorum igitur, *quæ incerta ſunt utplurimùm,* cogitationem nūc quidem ſeponentes, id quod ante pedes eſt, agamus. Gratulemur, nempe hoc ipſum quicquid eſt, divini muneris *Seidelio noſtro* præ multis aliis conceſſi, & gratulemur, tum ipſi *Seidelio,* tum *Senatui noſtro*

stro Magnifico, tum *Scholæ celeberrimæ*. Antequam verò hoc fiat, *adducamus ex historiis & rebus gestis exempla aliquot* sanctissimorū, doctissimorumq; hominum, qui perinde ut noster *Seidelius*, docendi alios, officio diutissimè functi fuêre. De his igitur rebus, nunc dicturus sum, *Auditores*, non ut *Orator, qui*, ut ille ait apud Ciceronem,† *in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis perfectus esse debet*; qualem me esse, si aut dicerem, aut crederem, intolerabiliter insanirem: sed ut is, cujus professio & historica, ut cogitem sæpenumerò, ac memoriâ vetera repetam; & rhetorica, ut exemplo meo qualicunq; discipulis meis, tum cęterarum bonarum artium, tum nobilissimæ eloquentiæ canditatis, aliquando præeam, videtur requirere. Quapropter, cùm videatis, *Auditores spectatissimi*, nihil à me pręter officium factum esse, vestri quoq; officii jam esse intelligetis, orationem meam attentè bonaq; cum veniâ cognoscere. Quod ipsum ut faciatis, quantum possum, oro obtestorq;.

† lib. 1. de Orat. com. 168.

Quò igitur primúm omnium animo & cogitatione me convertã rectius, quàm ad vetustissimos illos *Aborigines, Patriarchas*

antediluvianos; quorum vitas atq; res gestas longè plurimas, longè amplissimas, compendio omnium brevissimo, sed maximè mirabili descripsit auctorum antiquissimus Moyses? Cùm enim illi *per annos septingentos, octingentos, nongentos, & amplius*, vitam ac spiritum de cœlo duxerint, facilè existimari potest, non annos tantum complures, sed & secula aliquot in docendi munere eos transmisisse. Inveteravit in studio oratorio jam à priscis temporibus, ut viri diserti & ornaté dicẽtes, si insignis aliqua vel copia vel multitudo significanda sit, ejusmodi utantur sermonibus, quibus à nemine id, quodcunq; est, nec cogitatione comprehendi, nec verbis exprimi posse, dicant. Sed hoc illi ita dicunt ex arte suâ, quæ inter cætera verborum ac sententiarum ornamenta & lumina, eam quoq; figuram, quam *hyperbolen* dicimus, tradit. Ego autem de sanctissimis illis *Macrobiis*, cur enim non ita appellem eos? verè mihi, & absq; ullo colore Rhetorico hoc videor esse dicturus, *Nullam* † *tantam posse exsistere ubertatem ingenii, nullam tantam dicendi copiam, nullum tam divinum atq; incredibile genus orationis,* quo quisquam possit labores, occu-

† Cicero post Redit. in Senat. com.2.

occupationes ac molestias, quas *Patriarchæ* illi in officio suo tantâ longinquitate producto sustinuerunt. Quis enim credat, tam multis annis, aut etiam sæculis, vel *Epimenedeum* somnum dormivisse, aut expertes laborum omnium ignavo ocio ætatem omnem contrivisse, nihil agentes aliud, quam quod apud poëtarum eximium† agit ille *lentus in umbrâ Tityrus*, cujus felicitatem alter Melibæus prædicat maximam, quod recubare possit

† Virgilium principio Eclog. 1.

-- -- *patulæ sub tegmine fagi?*

Omne flagitium nos committere, putemus, *Auditores*, si non alio omnia de principibus illis nostri generis dicamus ac sentiamus? Scilicet adeò pueri erant, ut ocii & turpitudinem & perniciem ignorarent, nec intelligerent, quod â poëta,* nostro aut nostrorum certè patrûm tempore scriptum est,

* Ioh. Clajo. Explicat. Evangel. p. 38.

Ocia pulvinar Dæmonis esse solet,
Ocia dant vitia, & faciunt adsuescere pravis,
Ocia sunt omnis fons & origo mali.

Scilicet non opus fuit, filios & sobolem, indies sese uberi successu *subjicientem*,† aut in pietate & sanctimoniâ, aut in pulcerrimarum artium, quas ipsi paulatim inveniebant pariter atq; excolebant, cognitione,

† Virgil. Ecolog. 10. v. 74.

tione,institui & exerceri. Deniq; illâ à fratricidâ Caino proseminata familia, quæ à germanæ Ecclesiæ non minùs fide, quàm cœtu, planè defecerat, adeò modesta erat, Deiq; metuens, ut nulla molestiâ Patriarchas doctrinæ *de Promisso semine venturo* præcones genuinos, afficeret. Nō fuit ita, *Auditores*, non fuit. Ita potiùs statuatis, non magis sequentibus seculis Israëliticum populum à Pharaone & Ægyptiis fuisse maceratum; nec atrociùs Christianam gentem ab imperatoribus ethnicis, trecentis illis annis, qui Redemptoris nostri ac Servatoris unici natalem proximè secuti sunt, afflictam esse; nec denique violentiùs hoc ultimo seculo, agmen illud parvum, quod *Dei veracis*, quàm *mendacis hominis* † vocē atq; auctoritatem in sanctimoniæ ac pietatis ratione audiendam, rectissimè arbitratur, à malignātium Ecclesiâ infestari; quàm primo illo ævo, illam Cainiticam colluviem, religiosissimos *Patriarchas*, ut in atroci re, atroci quasi verbo utar, *inimicatam** fuisse. Sed de *longævis his patribus* plura in præsens nolo dicere, tum quod ipsorum ætas à nostris his temporibus est remotior, tum quod & vitâ & officiis suis tam diu fuē-

† Roman. cap.3.v.4.

* Horat. l.4. carm. Od. ult. Q. Cicero de Petit. Consul. Tremellius. Exod.23.22.

re

re functi, ut qui deinceps vixêre homines, meâ quidem sententiâ, cum iis comparare aut contendere non debeamus. Quapropter ad illa me converto, Secula hominum; quibus haut

——— *vitæ superat tam longa potestas*:

eorum, inquam hominum; qui aut cum Judaicæ gentis capite Jacobo † affirmare possunt: *Dies annorum peregrinationum mearum sunt* CXXX. *annorum: pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, neq; attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum, quibus diebus illi peregrinati sunt*, aut cum Moyse illo queri,* † Genes. 47. 9. *Psal. 90.

Tam nostri taciti labuntur cursibus anni,
Quam citò, quæ loquimur, verba perire solent.
Vivitur humanos bis septem lustra per annos,
Vix rectè ut valeas, lustra bis octo feres.
E quibus eximios quos vivimus, omne laborum
Et genus, & miseri fata doloris habent.

aut cum Propheta regali canere, † † Davide Psal. 39.

At nos, quod ævi vivimus, penè est nihil,
Ac pænè brevius, quam nihil;
Umbræ fugacis instar atq; imaginis,
Quam reddit æquor vitreum.

Ex hac igitur hominum, ut Græci vocant, μινυνθαδίων ἢ ὠκυμόρων* generatione, *aliquot exempla proferre lubet*, eorū, qui diutius aliis Spartam docendi adeptam sustinuerunt. *Homer. Iliad. o. Coluthus v. 150.

Sed

Sed proferre lubet incōdita magis, quàm accurato aliquo, aut exquisito ordine instructa. Neq; enim tantum in hoc tempore nactus eram ocii, ut de his diligentius ac operosius digerendis cogitare potuerim. In istis ergo exemplis familiam ducat, Propheta ille mihi cognominis, *Elias*, cujus præter cęteros nobilitatum est in religione verà studium, aut zelus potius ardentissimus. Hunc, ut colligere licet, *ipsi anni* XX. laborioso pariter ac periculoso munere prophetico fungentem, viderunt. Quod temporis intervallum, si cui non adeo diuturnum videatur, is considerans *maximas moles molestiarum & turbulentissimas tempestates*,† in quas Vir ille Dei, cùm fortiter atq; animosè Idololatriam in regno Israëlitico impugnaret, inciderat, longissimum esse fatebitur. Certè quàm non breve aut exiguum ipsi prophetæ visum fuerit miserabilis illa vox testari poterit, quâ non semel *animam suam à se tolli*, diuinum numen obsecrabat. Sed cum in hujus magni viri historiâ, multa sunt memoratu dignissima, quæ brevi comprehendi nequeunt: tum *mirabilis illa Prophetæ in publicâ fame sustentatio*, eiusmodi est, ut nunquam sine singu-

lari

† Cicer. l. 1. de Orat. com. ✣.

* lib. 1. Reg. cap. 19.

lari quadam voluptate animi à fidelibus doctoribus legi & considerari debeat. *Quodnam enim sub Sole hominum genus est, quod aut magis contemnatur atq; deseratur, aut minus nutriatur atq; sustentetur, quàm eorum, qui tum in templis, tum in scholis alios instituunt.* Et tamen ne desperent, ut alia sunt, quibus commoveri debent, ita historia *Eliæ* triplici quasi documento monstrat, quàm velit & possit illos Deus conservare. Nam aut *homines* præbebunt victum, ut Sareptana Vidua; aut *brutæ volucres*, ut corvi, aut *ipsum cœlum*, ut angelus sub Junipero. † † lib.1.Reg. cap.17. & 19.

Prophetam hunc, Preceptorem sequatur Propheta discipulus, idem & successor, *Elisæus*; is, cujus angelicam in presensentissimo discrimine defensionem sacris & cantionibus & concionibus hoc in tempore Ecclesia solemniter recolit.

Inter infestos Elisæus hostes,
Angelis cinctus nihil extimescit
Bellica signa.

Hic Elisæus post Eliam in tempestate terris insolente exemplo ereptum, provinciam docendi spacio *annorum LXX.* aut preterpropter gessit, eo usq; progrediens vivendo, *ut tandem oculis uti non potuerit.*

Qui Prophetam hunc illuſerant pueri duo & quadraginta, † eapropter â duobus urſis ita lacerati, ut ne veſtigium quidem humanæ vitæ aut figuræ ſupereſſet; docere debebant adoleſcentes homines; *ſubſannare præceptores ſcelus eſſe, & nefarium, & à quo pœna & exitium proximè abſit.* Nec enim, ut elegantiſsimi poëtæ Taubmani* verbis dicam;

† lib. 2. Reg. cap. 2.

*Schediaſ. pag. 550.

——Felix temerè ullus invenitur,
Cui ſunt ludibrio ſui parentes,
Parentumq; vicarii magiſtri,

Ergo ut aliûs viri eruditi † ſententiam uſurpem;

† Ioh. Claji explicat. Evang. p. 39.

Ergo patrem reverere tuum, reverere Magiſtrum
In terris felix, qui cupis eſſe diu.

Sed ad alios progrediamur. *Eſaias* ille prophetarum, quorum ad nos ſcripta pervenerunt, coryphœus, longinquitate & Eliam & Eliſæum vicit, Nam divino adjutus favore ipſis annis 80. in officio ſuo prophetico implendis fuit, in ſummo ſenio, juſſu Manaſſis Regis Juda, ſerrâ ligneâ diſſectus fuit. De quo ita Melanchthon in Epigrammatis,*

*lib. 1. Epigram.

Conſilio patrias Eſaias rexit habenas,
Et trepidis portus civibus ille fuit.

Depa-

Depulit Aßyrium Solymis è mœnibus hostem,
Victori ponens clara trophœa Deo.
Iamq́; senex centum vitæ confecerat annos,
Cum ferrâ scissus victima & ipse fuit.

De hoc plura in pręsentiarum non afferam: omnium instar sit prophetæ dictum hoc idem pulcerrimum, idem suavissimum: † *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.* O scitam sententiam & verè propheticam! Prędicit enim hîc divinus vates, fore, ut Reges atq; Principes juvent & alant sumptibus suis Ecclesias & scholas pias. Nec vana hæc fuit prædictio; eventus est subsecutus. Nam ex eorum grege, qui vel maximorum imperiorum clavum tenuerunt, vel clarissimarum Rerumpubl. gubernacula tractaverunt, exstitere ejusmodi, qui veræ religionis litterarumq; humaniorum amore capti, tam pręclarè de doctoribus earum artium fuêre meriti, ut omni jure ex Taubmano * iis acclamari potuerit:

† cap. 49. v. 23.

* Schedism. pag. 333.

Macte istâ virtute Duces! Nutrire magistros
Justitiæ, & teneræ dare Formatoria pubi,
Majus opus, quā pyramidum (miracula Memphis
Desita) substructas moliri ad sidera turres.

Porrò *Jeremias Propheta quadraginta annos* muneris prophetici partes sustinuit, usq;

ad Hierosolymæ urbis excidium: post quod aliquandiu in Ægypto reliquiis Judæorum, qui, eò profugerant, præfuit, donec ab Aprye tyranno interficeretur, Doctor severus ac minax, & qui non ipse minus provinciâ sibi divinitus demandatâ fideliter functus est, quàm alios officia sedulò exsequi voluit. Quisquis ergo rectè administrati muneris laudem invenire expetit, hunc prophetam in consilium adhibeat, hunc audiat, huic optemperet: alter qui melius dare consilium possit, quàm Jeremias, non facilè inveniri potest. Quid igitur ille? *Maledictus,* inquit†, *qui opus Domini fraudulenter facit.* O fulmineam vocem, omnibusq; extimescendam modis: *quid* enim *in hominem tristius miseriusuè potest expetere, quàm divino ex ore profecta maledictio?* Caveamus ergo, caveamus, quiq; sumus, ne socordiâ aut infidelitate nostrâ, tantum exitium incurramus. Inter eos, quibus longo tẽporis spacio officiis præesse licuit, numerandus quoq; est propheta omni doctrinâ magnorumq; rerum scientiâ ornatissimus *Daniel.* Ipsis enim *annis LXX.* & quod excurrit, spartam illam docendi, quam nactus erat, ornavit. Vates divinus, ob pul-

† cap. 48.

pulcerrimas historias, suavis & utilis; ob mysteria, quorum partim impletum est, partim impletur, aut certè brevi implebitur, admirabilis: utroq; nomine à Christianis omnibus legendus; potissimum autem, me auctore, ab iis amandus qui justitiam, hoc est, veram pietatem & fidem, quam justitiæ vice acceptat clemētissimus Deus, docent & docentur. Horū enim quæ gloria præ cœteris futura sit in altero illo immortali ævo, scriptor ille sanctisŝimus libro prophetiæ suæ extremo, magnificis his, & auro preciosioribus, melle dulcioribus verbis innuit. *Qu enim*, inquit, *docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudierūt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Quo de loco nobilissimi Prophetæ plura possemus adjungere, nisi longum nimis foret. Sed verendum esset, si hîc immoraremur, ne extra eos brevitatis cancellos egrederemur, quos nobis ipsi circumdedimus. Pergamus igitur ad *Oseam*, prophetam quo auctorum nemo, gravitatem sententiarum cum verborum suavitate feliciùs miscuit. Nam & is in catalogum *Macrobiorum* meritisŝimo suo referēdus est: idq; ita, ut omnes, quibus certi

alicujus muneris cura damandata est, suo exemplo moneat, quod Poeta † verbis monuit.

† Clajus Explic. Evang. pap. 168.

Sedulus & patiens, curâ studioq; fideli
Munera quisq; suæ conditionis agat.

Hoc autem quid sit, malo præstantissimi Theologi, *Salomonis Gesneri* verbis, quam meis dicere. Sic igitur ille commentario in hunc Prophetam: *Consideratio*, inquit, * *Chronologiæ suppeditat fidelibus verbi ministris* (*addo ego: & fidelibus* juventæ magistris) His igitur suppeditat *necessariam admonitionem, ne sub ærumnarum diuturnitate frangantur, & desides lassiq; fiant in officio. Cum enim Vsias seu Asarias regnare ceperit Anno 27. Jerobòàmi secundi, & regnaverit annos duos & quinquaginta: Joathan post ipsum annos 16. & totidem Achas, Ezechias deniq; annos undetriginta: quæ summa annos producit centum & tredecim: Certum est, Oseam minimùm 80. aut 90. annos munere prophetico functum esse. Quo tempore quot adversa passus sit, & quam ægrè graviterque tulerit obstinatam populi malitiam, quilibet facilè æstimare potest: cum videret omnem suam diligentiam, fidem & laborem tot annorum continuis concionibus apud impios reges, aulicos satrapas, & idololatricos*

* pag. 30.

latricos sacerdotes, prorsus irritum esse, & ludibrio haberi. Hac tamen ille populi improbitate non movetur, nec defatigatur, sed in officio divinitus sibi demandato strenuè progreditur. Sed ne nimis immorer, cæteros saltem nominabo, nihil præterea abijciens. *Amos* Propheta XL. annos concionatus est. *Micheas* officio suo Prophetico per L. ferè *annos* functus est. *Paulus Apostolus* circiter *annos* XXXVI. docuit: tot enim sunt anni à Christi adscensione ad ultimū Neronis annū. *Johannes Apostolus* propè LXX. *annos* in officio suo exegit. *Polycarpus* interfectus est *anno ætatis suæ sexto & octogesimo*, qui admodum adolescēs auditor fuerat Johannis Evangelistæ. *Irenæus* sub Maximiano interfectus est Syrmij: vixit igitur *annos* circiter LXXX. Sed ad recentiora quoq; exempla veniamus. *Nicolaus Leonicenus* Medicus Vicentinus, illustrator Dioscoridis, Ferrariæ docuit *annos* LX. & amplius. *Philippus Decius Mediolanensis* Jurisconsultus non incelebris juris utriusq; professionem Pisis, Senis, Florentiæ, Patavij, Ticini, & Avarici Biturigum ad *annos* LXV. sustinuit. *Philippus Melanchthon* Academiæ Vitebergensi ipsis *annis* XLII. operam navavit.

De *Andreâ VVinclero*, primo hujus Ludi Moderatore, deinceps dicemus. *Michael Neander Soranus Silesius* Jlfeldiæ ſcholam *annos quinq; & quadraginta* gubernavit. *M. Nicolaus Steinbergius annos XLIV. Bonaventura Rosler annos XL. M. Martinus VVeinrich XXXIII.* in hac ipsâ ſcholâ docuêre. Sed ejuſmodi alia quoq; exempla colligi poſſent, ſi requireret neceſsitas. Quibus relictis, Nunc ad *Macrobium noſtrum*, omnibus iis artibus, quæ ſunt libero dignæ, perpolitum *Seidelium*; mea ſe vertit oratio; cujus cauſa potiſsimùm inſtituta fuit. Ei jam gratulari debeo, de ſeculo hoc dimidio inter pulveres ſcholaſticos, feliciter completo. Verùm, vnde incipiam, tanta, *Auditores*, dicendarum rerum copia in mentem mihi nunc venit, ut ægrè mecum queam conſtituere, quid primo, quid ceteris locis in medium afferam. Nam cur non gratulandum ei ſit, qui in tam laborioſâ, multiſq; modis moleſtiſſimâ provinciâ, tot annos vivus atq; valens potuit tranſmittere. *Beatus Lutherus*, qui quatuor ſaltem annis ante mortuus eſt, quam noſter naſceretur *Seidelius*, duplicem faciebat *canitiem*, quandam *ætatis*, quandam *tribulationis*: id nimirum reſpiciens,

ciens, quod in vulgato exprimitur versiculo:

Cura facit canos, quamvis homo non habet annos.

Quod ipsum & Poëtarum Oceanus *Homerus* † sensit, αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι, hoc est, interprete litteratorum Phœnice Erasmo: * † Odyss. τ. * Adag. p. 706

Rebus in adversis venit accelerata senectus:

vel, ut idem alibi: † † ibid. p. 838.

Quippe repente homines curisq; malisq; senescunt.

Ecquod verò vitæ genus putatis, *Auditores*; accommodatius esse ad *caniciem illam tribulationis*, Producendam eâ vivendi ratione, quæ à magistis pueritiæ colitur? *Hodiè prædicant nautæ in præsenti naufragii periculo derepentè oboriri canitiem*; ait iterum maximus ille *Roterodamus*:* Atqui si hoc juventutis doctoribus eveniat, ut ante *ingravescentem* † illam ætatem *cani* oboriantur *curis nimirum eliciti*, ego quidem mirarer nihil, qui sciam verè pariter & festivè depinxisse provinciam nostram, virum eruditum *M. Ambrosium Hannemanum*: cujus verba; quandoquidem in istum sermonem delapsi sumus heic afferre fert animus. Sic igitur ille Epistola, quæ Syl- * ibid. p. 707 † Cicero Lælio, Catone, & Famil. Ep. 1. lib. 2.

logæ carminum miſcellaneorum, ante decennium editæ, præmiſſa eſt. *Moleſtiarum multifariam magnitudinem ex adverbijs Quantitatis æſtimari licet, quæ omnia in ſcholarum ergaſtula confluxiſſe experientia loquitur. Hic enim eſt* multùm *laboris*, parùm *favoris* modicùm *honoris*, minimùm *valoris*, nimiùm *furoris*, plurimùm *pedoris*, *& quod ſponte ſuâ ad quodvis horum ſequitur. ſatis, immò* plus quam ſatis *doloris. Alia quidem vitæ genera laboribus & moleſtijs nequaquam carent, ſed eſt tamen inter labores & præmia conveniens proportio*: Nos *verò ſtrenuè eſurimus, ſitimus, algemus. Ego* (pergit Hannemannus) *ſi didactri annui rationem ſubduco, in ſingulos dies viginti ſeptem nummulos accipio, quorum tamen triente alij quidam coguntur eſſe contenti. Magnum ſcilicet pro magnis laboribus præmium. Vtinam verò in ſummâ penuriâ, multiplicibusq́; miſerijs, non inſuper etiam cujuslibet fermè obtrectationibus & injuriis expoſiti ſimus. Vtinam à furfuribus & fæcibus hominum, peripſemata propè & catharmata non habeamur!* Hactenus, quem dixi, *Hannemannus.* An non verò hos labores, hos angores, has curas & moleſtias tu quoque his *quinquaginta annis* ſenſiſti, exantlâſti, devorâſti,

ſenex

ſenex venerande, *Seideli* clariſſime? Profectò aliter ſtatuere non poſſumus, ſiquidem *ſcholam ſemper ſcholam eſſe* credamus. Et dubitemus adhuc gratulari tum *felicitati*, tum *virtuti & conſtantiæ Seidelij* noſtri? An non enim *felicitas* eſt tot laboribus, totq; oneribus perfunctum eſſe? Gaudet miles, quem Martis ira non perculit. Lætatur nauta, è præſentiſſimo naufragio ereptus. Triumphat viator, confecto periculoſo itinere ad ſuos lares reverſus. Et optimus *Seidelius* non lætetur recordatione omnis illius amaritudinis, quę tanto temporis ſpacio exhauſta fuit? τῶν πεπραγμένων ἐπιτερπεῖς αἱ μνῆμαι, ait Philoſophorum aquila Ariſtoteles: † *Actarum rerum recordatio jucunda eſt.* † lib. 9. ethic.

Et Poeta inſignis, Joachimus Major

Sed quæ ferre piget damna, tuliſſe juvat.

An non porrò hæc *virtus* eſt & *conſtantia*, intelligere iſtius provinciæ miſerias maximas, & tamen ſubire: nec ſubire tantum, ſed & perferre, & quidem diutiſſimè perferre. Nimirum ſciebat *Seidelius* vir ſapientiſſimus, *munus hoc eſſe quidem grave, difficile, moleſtum: ſed tamen humanæ ſocietati non modò vehementer fructuoſum, ſed & neceſſarium maximè.*

Quales

Quales enim res humanæ essent futuræ, si præceptores nulli amplius rectissimis atq; optimis studiis pueritiæ obsequerentur? Profectò, quod de Philosophiâ dixit Maximus Tyrius,† id commutato vocabulo de scholis verissimè sentiri & dici debet. αὖ δ' ἐξέτης τοῦ βίου τὰς σχολὰς, ἐξεῖλες αὐτοῦ τὸ ζώπυρον, τὸ ἔμπνουν, τὸ ζωτικὸν, τὸ μόνον εὔχεσθαι ἐπιστάμενον· ὡς ψυχὴν σώματος ἐὰν ἀφέλῃς, τὴν ζωὴν ἐξέταμες. ὡς ἥλιον ἡμέρας, τὴν ἡμέραν ἔσβεσας: hoc est, ex versione celeberrimi interpretis, *Danielis Heinsii*: *Quod si è vitâ tollis scholas, fomitem ejus vivum tollis, ac spirantem: tollis id, quod solùm, precari novit. Sicut corpori animam si demas, vitam abstulisti.* Etenim, ut alicubi scribit *Petrus Vincentius** olim scholæ hujus Rector celeberrimus, *Scholastici cœtus verè sunt veteris sapientiæ ac pietatis, & doctrinarum ac virtutum omnium quasi* ἐρείπια. Hæc igitur omnia penitus perspiciens noster *Seidelius*, magno constantiq; animo munus hoc docendi juventutem litterariam, tot annis hactenus sustinuit, ut *potissima gratulatio ab eâ ipsâ temporis diuturnitate*, petenda sit. Nam, per Deum immortalem! quantum est eorum hominum agmen, aut quantus potiùs populus, qui his annis quinquaginta, hoc est,

† Sermone 30.

* præfatione in epigrammata Philippi.

eſt, ipſo dimidio ſeculo, in omnibus vitæ ordinibus, è vitâ exceſsêre. *Homerus ille non poetarū solùm eximius, ſed & ſapientûm*, † cùm hominum naturam atq; vitam vellet deſcribere, foliis genus noſtrum æquiparavit; *

† ita laudatur Lipſio Centur. 1. Epiſt. 22.

οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.

Quale foliorum genus, tale & virorum.

*Iliad. ζ.

Profectò ſi à *Domino Seidelio* hunc verſum omnium rectiſsimè intelligi dixero, non plus ei tribuero, quam res & veritas ipſa concedat. Quemadmodum enim autumnalem hanc tempeſtatem, in hortis, agris, ſilvis, folia videmus arboribus innumero numero decutere: ita *Senex noſter venerabilis* in hac noſtrâ Republ. tantâ temporum longinquitate obſervavit illam mortis, ut ſic dicam, tempeſtatem, decutere omnibus in communi vitâ officiis, ſacris æquè ac non ſacris homines vitâ dignißimos. Memorabile quid in mentem mihi nunc venit, quod à *Seidelio noſtro temporum & rerum geſtarum callido* aliquoties me audire memini. Cùm enim, ut ſcitis Auditores, honorum atq; munerum omnium, quibus fungimur mortales, ea ſit ratio, ut qui iis, vel morte imperante, vel eventu quodam ſic ſuadentes

defun-

defuncti sunt, successoribus suis & locum relinquant, & quasi *lampada*, ut est in proverbio,† *tradant*; tot mutationes personarũ in officijs publicis, vivens, & suas partes tuens *Seidelius* expertus est, ut in functionibus publicis facilè primarijs *sextas* jam aut *septimas etiam personas* nominare possit, quæ ab eo tempore, quo è patriâ, *Olaviâ*, *Vratislaviam* ipse venit (quod anno primo & sexagesimo suprà millesimum quingentesimum à salutiferis Christi natalibus factum est) in administratione illorũ munerum floreant. Etenim, aut paucis, hoc, quodcunq; est, quod certè singulare est, expediam, inter magnificos ac Nobilissimos Amplissimę hujus ac Celeberrimę Reipub. Præfectos, quos *Capitaneos* solemus nuncupare, vivit hodie & rerum potitur *Magnificus, Strenuus, Nobilissimus, Amplissimusq́; Vir, Dn. Adamus Dobschutz*, qui *sextus* est à Clarissimo Civitatis nostrę *Principe*, *Antonio Banck*, viro singulari & præstantissimâ virtute ac pietate: quo clavum urbis tenente, in urbem nostram venit *Seidelius*. Hunc autem *Antonium Banck* rebus humanis exemptum, in summis gubernaculis Reipub. tractandis secutus est *Servatius Reichel*, vir, exemplo P. *Servilij*

† Vide Erasmum Adagijs pag. 74.

apud

apud *Ciceronem*,† cùm clarissimus, tum verò optimus: Nobilissimus insuper ortus majoribus. † Post Reditũ in Senatu, com. 94.

——— *Breslæ qui annos viguere trecentos*

ut nuper in carmine funebri dicebat Clarissimus *Tschonderus*. Porrò cum diem suum obijsset, quem laudabam, *Servatius Reichel*: in inclyto hoc civitatis nostræ dominio, ei successit summus & clarissimus vir *Albertus Sauerman*: qui vitâ pariter & splendidissimo hoc officio defunctus, successorem in maximâ hac dignitate habuit virum, me Christe, magnum, & tum alijs florentem virtutibus, tum ob incredibilem favorem bonis litteris, & earum studiosis, declaratum, immortali dignum nomine, *Nicolaum Rhedigerum*. Hic enim est, cui vir omnibus ingenuis artibus instructus *Martinus Crusius*, Professor Tubingensis celeberrimus, hoc perhibuit elogium.

Τίς πέλε Νικόλεως ὅδε; Πιστὸς πίστιος οὗ ἔστι
Χριστιάδος. λαοῖς εὐσεβέεσσι φύλαξ.
Σπουδαστῆς ἀγαθοῖσι νέοις παιδεύσιος ὀρθῆς.
Χηρῶν καὶ πτωχῶν κοινὸν ἔρεισμα φίλον.
Εἰρηνεύης καλῶν τ' ἠθῶν περιώσιον ἕρμα.
Παντοίων ἀγαθῶν τύπος, ἐκ γε θεοῦ.

Qui

Qui dum vixit, erat, fidei nutritius almæ:
Defensor cœtus impiger usq; pii.
Propensus fautor studiiśq; scholiśq; juventæ:
Patronus viduis, pauperibusq; bonus.
Eximius pacis præses, vitæq; decoræ:
Postq; Deum, cuncti causa datorq; boni.

Sed cũ & hic summa virtute & pietate *Capitaneus* à Deo immortali ex his miseriis atq; ex iniquißimâ conditione vitæ ereptus esset: sequutus est *Abrahamus Jenckvvitz*, vir omnibus virtutibus, quæ magistratum bonum deceant, ornatus, inprimis verò incredibili humanitate in maximo muneris, quod gerebat, splendore, præditus, ita, ut vivus olim meritißimo suo iis verbis compellari potuerit, quibus *Lipsius ille* † *Octavium Frangipanum* allocutus est: *Adest auctoritas, simul & comitas; illa venerabilis, hæc amabilis; & nescio utra efficacior ad movendum & trahendum. Immò ista, me quidem judice, quâ sic uteris, illâ salvâ, ut in omnium pectora te insinues, & gratiã impetres, quod nec imperio alius cogat. Itaq; virtutes tuas & inspicimus simul & suspicimus: & tamen accedimus, facili illâ humanitate invitante: ut elogium hoc verè subsignem, neminem fuisse, quem provincia* (Respubl.) *nostra magis reverita sit, minus verita: & quæ duplici isto affectu tota in te fer-*

† præfat. Cẽturiæ singularis Epist. selectarum.

te fertur, Venerationis pariter & amoris. Huic tandem *Abrahamo Jenckwitzio*, cum in ipsâ curiâ, inter gravissimi hujus muneris negocia, eo morbi genere, quem attonitum stuporem, aut siderationem, medicorum παῖδες nominãt, affectus, paucis post diebus usuram hujus lucis libenter reddidisset; huic, inquam, successit, ab *Antonio Banck*, ut ante etiam innuimus, hujus temporis *Capitaneus Megnificus Amplissimusq́ vir, Dn. Adamus Dobschutz*: qui cum ejusmodi sit Magistratus, qualem augustissimus ille Patrum *Augustinus*,† optandum esse scripsit, *dulcissimâ pace gaudens, pietate religiosus, benignus mente, sanus corpore, moribus castus, conscientiâ securus, voveamus* dignissimo huic laudatissimoq; *Senatus Populiq́ Vratislaviensis Præsidi*, ut ex bono publico

*Jliacos æquare senes, aut vincere posset.**

Quemadmodum verò *in ordine Senatorio*, ita & *in Ecclesiastico munere*, illud ipsum vidit per tot annos fieri, noster *Seidelius*: qui eo adventus sui in hanc urbem anno, quem supra recensebam, reperit *Pastorem hic ad D. Elisabethæ docentem, Maternum Eccilium*; â quo *septimus in ordine* est, is qui in eodem sacratissimo *Pastoratus atq;*

† lib. 4. de civ. Dei cap. 3.

* Versus Lipsio vsurpatus Dedicat. Cētur. 3. Epist.

inspectiones Ecclesiasticæ pariter atq; scholasticæ munere, hoc in tempore

——— *mysteria Christiana civi* †
Evulgat patrio.

† Versus Tubmani, Schediasm. pag. 532.

Admodùm Reverendus, Excellentißimusq; vir, Dn. Zacharias Hermannus. Nam cum *Maternus ille Eccilius* provinciæ jam dictæ renunciasset, alioq; profectus esset; eandem provinciam docendi, sub *Ecclesiastæ* tamen nomine aut titulo, suscepit *Reverendus ac Clarißimus Vir, Dns, M. Johannes Scholtzius senior:* quem *in Neapolin nostram* ad officium *Præpositi,* ut vocamus, vocatum, secutus est D. *Johannes Aurifaber Theologus magnus, atq; in omni artium genere versatus, vir insuper pius, probus, prudens, pacis & concordiæ studiosus:* Quemadmodum in ipsis *Silesiæ Annalibus* * hæc ei laus tributa est. *Aurifabro* paulò pòst successit D. *Esaias Heidenreich,* Theologus gravis atque eloquens, *Seidelij nostri Socer venerabilis,* qui verbum divinum fideliter pro suggestu & pro cathedrâ explicando, librosq; optimos in publicum emittendo, & de hac urbe, & de re universâ Theologicâ præclarè est meritus. Post hunc Pastoris Ecclesiæ hujus munus summâ fide & pietate gessit D. *Iohannes Fleisserus;* qui post annos

* part.2. Extremâ.

non ita multos, eventu inciſæ venæ non ſatis ex ſententiâ procedente, obiens, locum vacuum reliquit. Ei ſurrogatus deinceps fuit pro-Paſtor *M. Chriſtophorus Scholtzius, Præceptor meus* optimè de me quoque meritus *vir ad miraculum usq; eruditus.* Quo è vivis ablato, Paſtor Jnſpectorq; Eccleſiarum pariter & ludorum litterariorum conſtitutus fuit, paulò antè mihi laudatus, *Dn. Zacharias Hermannus Sacroſanctæ Theologiæ Doctor*: ab illo *Materno Eccilio ſeptimus*: cui ſingulari & fide, & induſtriâ, & gravitate, tum concionibus civitatem; tum lectionibus juventutem, informanti, itidem voveamus, ut ex bono publico

Iliacos æquare ſenes, aut vincere poſsit.

Sed ut *in Eliſabethanâ,* ita & *in Neapolitanâ Æde ſeptimum* jam ſacris præeſſe videt *Seidelius.* Quo enim tempore *Vratislaviam* pervenit, docebat in eâ Eccleſia *Thomas Gerhardus*: qui defunctus ſucceſſorem habuit, *Iohannem Scholtzium*, eum quem paulò ante Eccleſiaſten Eliſabethanum fuiſſe dixi, Hujus ſucceſſor fuit *M. Iohannes Birckenhan*: in cujus mortui locum ſuffectus eſt *Sigismundus Suevus, indice librorum Lutheri, & Arithmetico libello*

ſane quam ſcito, edito clarus. Cui defun- cto ſubrogatus eſt *ſub Jovâ celebris* ille Theologus (hoc enim ejus *anagramma* eſt) M. *Jacobus Berelius*. Quem calculi doloribus confectum M. *Joachimus Pollio* ſecutus eſt, is qui nunc temporis in *Magdalenæo templo Paſtor* eſt, cujus cum & in docendo induſtria & in monendo fides, & in conſolando ſuavitas & in arguendo zelus, ita manifeſta ſint omnibus, ut tam eximius Theologus meo elogio opus non habeat; voveamus & huic, ut ex bono publico

Jliacos æquare ſenes aut vincere poſſit.

Sed enim Pollione hoc Paſtoris Magdalenæi officium nacto, cum novus *Præpoſitus* in Neapoli ordinandus eſſet, *M. Ioachimus Fleiſſerus* huic provinciæ præfectus fuit: qui profectò, ſi quid judicare poſſum, in arte ſua *Roſcius* † eſt; & in concionando *alter Balduinus*. Js cum etiamnum *Spartam illam ornet*, ut diu id faciat, voveamus, ut ipſe quoq; ex bono publico

† Cicero lib. 1. de Orat. com. 306. Eraſm. adag pag. 987.

Iliacos æquare ſenes, aut vincere poſſit.

Verum ut *ex curia, in ſacras ædes* deſcendebamus: ita nunc *ex templis in ſcholas*, mente atq; oratione nos conferamus: Nam & in hac ipſâ *Euſebies ac Muſarum officinâ Eliſabethicâ* complures iſtiusmodi mutatio-

nes

nes contigiſſe, *Macrobius noſter* recordatur, adeò ut ex quo primùm hanc urbem ingreſſus fuit, ipſum *ſextum Rectorem* jam aſpiciat. Cum enim huc adveniret, ludum hunc litterarium ad D. *Eliſabethæ* moderabatur *M. Andreas VVinckler Saxo*: quo ipſo tempore nondum erat ſcholaſtici hujus *ædificij* (ſic enim *Vitruvius* † loquitur) *auctoritas*: ſed *priſtinâ ſcholâ, illâ* (ut *Dn. M. Nicolaum Steinbergium* appellare memini) *luteâ* juſſu *Senatus inclyti*, funditus eversâ & dirutâ, *nova hæc Pietati & Muſis* exſtruebatur *ſedes*; intereaq; pueri in ædibus parochialibus vicinis informabantur. Plurimis tamen antè annis, quàm hæc, quæ dixi, fierent, *VVincklerus* ille & hujus urbis, & ex alijs civitatibus huc confluentem juventutem erudierat. Etenim, ut quæ de his rebus accepi, ea paucis in medium adferam; *Andreas VVincklerus* ante annos centum, & quod excurrit, ex Cracovienſi Academiâ huc profectus, cùm ad gubernandam ſcholam Eliſabethicam, in quâ ijs temporibus cætus diſcentium exiguus admodum verſabatur, vocatus eſſet, ita ſtudio ac fidelitate ſuâ eam rexit, ut brevi non modò ex hac Sileſia, verùm etiam ex vicinis provincijs multi diſcēdi causâ

† Videatur Barthius Tom. I. Adverſar. lib. I. cap. 10.

confluerent. Eâ ipsa in re mirificè adjutus ipse fuit, non modò ab *Ambrosio Moibano Doctore*, Viro solertissimo ac prudentissimo; verùm etiam à *Iohanne Metzlero, & Iohanne Morenbergio*, viris summâ dignitate præstantibus, & ad Reipub. clavum sedentibus. Qui etsi omnes ejusmodi nominis decus sibi peperêre,

† Buchanan. Psalm. 106.

Quod nulla sileant posterorum sæcula, †
Mezeleri tamen inprimis nunquam mihi in mentem venit, quin simul admirer primò Doctorem *Iuris*, deinde *Senatorem*, denique *Capitaneum*, ita curas suas in scholarum salute & incremento defixisse, ut ipse, equo, aut curru, ut accepimus, vectus (podagram enim ei infestiorem fuisse, vel ex ipsius *Epistolis* * discere potui) scholam intraverit, ibiq; adolescentiam præceptis optimis imbuerit. O *felicia illa tempora, quæ senatoriam purpuram scholastico viderunt adspergi pulvere: adspergi, non violari!* Facere non possum, quin in tam insolitarum rerum mentionem incidens, duo ipsius *Mezleri* loca adducam, quibus quid in hoc genere senserit, quid præstiterit, fiat manifestis. Sic igitur optimarum homo artium spectatus ac probatus, litteris ad *Camerarium Germaniæ decus*: *Nihil*

* Tertio libello Epist. Hessi & aliorum.

est

est profectò, quod me ita delectet, ut cum audio litterarum bonarum studia coli: quâ in re meam quoque operam prodesse posse optarim. Et alijs ad *Crocum*: *Cupio* inquit, *Vratislavienses meos ad litteras alacriores reddere: Et ne quâ in parte rei litterariæ deesset labor meus, æstate istâ interpretatus sum orationem pro Dejotaro, hieme libellum de senectute prælecturus.* Meritò igitur *Camerarius* in Epistola ad *Cratonem*, *nominat Mezlerum, summum virum, præceptorem & amicum suum observandum, cujus mortui cum reverentiâ, ut par sit, semper soleat meminisse.* Sed quorsum me orationis hujus cursus rapit? De *Rectoribus Gymnasij hujus* quorum invicem se præcedentium & subsequentium numerus longævitatem *Seidelij* debet arguere, instituì dicere: & de *Mezelero Senatûs atq; urbis Præside* multa declamo. Nimium huc me perduxit suavitas cognitionis historiarum *patriæ, cujus* ut *apud Ciceronem* † *Crassus* ait, *mens, mos, disciplina, nobis nota esse debet.* Nunc ad *VVincklerum*, eumq; secutos scholæ hujus Rectores, & cæterarum inspectores, viros Clarissimos, redibo. *VVincklerus*, cum numerus discipulorũ indies augeret & *Mezelerus* eum impelleret atq; hortaretur,

† lib 1. de orator com. 461.

ut ſibi homines laborum in ſcholâ ſocios adjungeret, Vitebergam abijt, ibiq; honore Academico & magiſterij gradu â *communi Germaniæ Præceptore Philippo* ornatus, collegas ſecum adduxit: ipſe deinceps ſcholaſticâ hac provinciâ *diutiſsimè functus*, in vivis eſſe deſiit. *Diutiſsmè*, inquam, *auditores*: *ipſos* enim *annos tres & quinquaginta* in hoc munere transſegit; † pag. 243. quod ex *Hemerologio Poliano* † mihi licuit cognoſcere, notandum meritò vel noſtri *Seidelij* gratia ut ei, diurnantis in ſcholico pulvere induſtriæ ac patientiæ, hunc quaſi ſocium adjungendum ſciamus. Anteà autem, quàm è vitâ excederet *VVincklerus*, ab inclyto ſenatu ad hoc Rectoris inſpectorisq; munus vocatus eſt *M. Petrus Vincentius*, *olim Profeſſor* & *Vitebergenſis* in *Saxoniâ*. & *Gryphüvvaldenſis* in Pomeraniâ, itidemq; *Rector Scholæ Lubecenſis* in Saxoniâ, & *Gorlicenſis* in Luſatiâ, Vir Clariſſimus & Doctiſsimus; inprimisq; bonus poeta, bonus orator, bonus hiſtoricus; cujus memoria litteratis eò debet eſſe jucundior, quò munificentiore largitate etiam poſt obitum ſuum, Muſas pauperiores adjutum ivit. Quemadmodum enim *Petrus Ramus* ex eo commendatione eſt

dignis-

dignißimus, quod ingenio, diligentiâ, aßiduitate & opibus etiam suis, quantum in ipso fuit, rem litterariam juvit ac promovit, *institutâ Mathematices professione*, cui annum vectigal quingentarum librarum è facultatibus suis attribuit: Jta † *Petrus Vincentius*, testamento condito, *Professionem Historicam, in hoc ipso optimarum mentium Formatorio & officinâ*, instituit, legatâ ad eam rem pecuniæ ejusmodi summâ, ut ex illius reditibus annuatim professori historiarum sexaginta Joachimici solvi poßint: ut taceam, quod idem *Vincentius* partem etiam suarum facultatum ad ea juventutis paupertinæ in Academijs sustentandæ adminicula, quæ *stipendia* vulgato jam nomine dicimus, destinaverit. Secutus eum est in hoc officio M. *Nicolaus Steinberger*, qui(ut ex eodem *Poliano Hemerologio* * elogium istud repetam) *in utraq; schola, hac scilicet nostrâ, & vicinâ Magdalenensi, annos quatuor & quadraginta vixit, pubemq; litterariam fideliter, studiosè, candidè ac honestè docuit, multosq; egregios discipulos, Ecclesiis, scholis, atq; administrationi politicæ utiles, reliquit* atq; hic est *Steinbergius*

† Videntur Hentznerus Itinerar. p. 88. & Lansius de princip. Europ. pag. 255.

* pag. 196.

——Illo qui tempore princeps
Gymnasij, & summâ classe Magister erat; †

† Versus Taubmani Schediasm. pag. 393.

 Quo

Quo tempore ego puer & adolescens discendi causâ hunc ludum frequentabam, meq; sub hoc duce Clarissimo, præceptore Charissimo *ad pietatem & litteras meditabar:* † cujus sententia sæpè ab ipso mihi audita, sæpè nunc etiam mihi in mente: *In scholis ego auream disciplinam, plumbeam q; doctrinam, præferendam duco doctrinæ aureæ, sed disciplinæ plumbeæ*, *Steinbergio* mortuo, onus provinciæ hujus scholasticæ gravissimum impositum fuit humeris *Excellentißimi atq; Clarißimi viri, Domini Petri Kirstenij Phil. & Med. D.* sub cujus *Rectoratu* ego in numerum & collegium eorum, quibus officium adolescentiam instruendi commissum est, receptus sum. Quod onus cum ab eo aliquot annis, tanto animo, tantoq; de Patria benè merendi conatu, gestum esset, ut tandem in morbum incideret, in quo ipsa vita periclitari videbatur; causis gravissimis senatui expositis, veniam & vacationem ab isto onere impetravit. Ex illo medicinam jam in hac urbe cum faciat & ægris subveniat feliciter, huic quoq; voveamus, ut ex bono publico

† plautina phrasis, Sticho Act. 2. Scen. 2.

Iliacos æquare senes, aut vincere poßit.

Cum igitur novus Rector huic Gymna-

sio

fio adſciſcendus eſſet, arceſsitus tandem fuit ex celeberrimâ *Academiâ Salanâ*, *Thomas Sagittarius*, tum temporis *Philoſophiæ Magiſter*, poſtea etiam *in utroq́ jure Doctor*; Vir tot Academiarum teſtimonijs, Clariſſimorumq; hominum elogijs ornatus, ut, quod de *Carthagine* olim dictum eſt, *ſatius ſit de eo planè tacere, quam nimis pauca dicere*. Huic ægritudine & morbis confecto, ſucceſsit *M. Michael Poll*, vir optimus, ac doctiſsimus, qui hoc in tempore, ut ſcitis, ſcholæ noſtræ habenas regit; utq; diu hoc cum patriæ bono, & cum laude ſuâ faciat, ipſi quoq; voveamus ex animi ſententiâ, ut

Iliacos æquare ſenes aut vincere poſsit.

Videtis igitur, Auditores eximij, optimũ noſtrum *Seidelium* inter *gubernatores* etiam *& Rectores hujus Phrontiſterij*, *ſextum* jam numerare ab eo, quem huc adveniens offenderat. Huc enim hæc, quæ præceſsit, Clariſsimorum virorum enumeratio pertinuit, ut longævitas *Seidelij*, & in officio diuturnitas, quamvis per ſeſe conſtat, tamen his quaſi indicijs appareret evidentiùs. Quæ ſi vobis magna & memorabilia ſunt viſa, *Auditores*, ſcire debetis, eſſe longè majora, magisq́; memorabilia, quæ

afferre

afferre de his rebus poſsimus. Etenim tāta nubes eſt & multitudo eorum, qui in hac Repub. eo ſaltem tempore, quo Præceptorem publicum agit *Seidelius*, morte abſumpti ſunt, ut vel ſolâ enumeratione in laſsitudinem dari poſsitis, *Auditores*. Collègi mihi indiculum aut catalogum hujuscemodi perſonarum, maximā partem, ex illo, quod jam tertiâ vice laudo, *Hemerologio Reverendi & Clariſsimi Polij*, ſummi amici ac fautoris mei: illius collectionis fructus ne pereat, recenſionem, quàm fieri poterit, breviſsimam inſtituam. Obierunt enim per *hos annos quinquaginta officij Seideliani ex ordine Senatorio* præter ſummos illos Præſides Reipub. Capitaneos, ſupra enumeratos, viri Nobiliſsimi, Ampliſsimi, Spectatiſsimi, *Benedictus Diſtler, Ludovicus Pfintzig, Sebaldus Sauerman, Caſparus Heſeler, Hieronymus Vtman, Georgius Andreas, Michael Arnolt, Michael Neudan, Johannes Sadevvitz, Nicolaus Reichel, Daniel Schilling, Johannes Behniſch, Jacobus Schachtman, Kilianus Utman, Caſparus Frolich, Andreas Schubart, Fridericus Schmidt, Georgius Artzat, Adamus Rhediger, Heinricus Kromaier, Matthias Reuſner, Caſparus Arnoldt, Eraſmus Muller, Jſrael Reichel, Sebaſtianus Vogt, Gottfridus*

dus Schilling, Georgius Aſhelm, Georgius Pfortner, Paulus Galbitz, Davit keſler, Tobiaas Lindner, Johannes Baptiſta Schvvab, Sebaſtianus Krebitz, Iohannes Scholtz, Iohannes VVeger, Heinricus Schmidt, Iohannes Hannoldt, Jacobus Reichel, Heinricus Kromaier, Leonhardus Olhaſ, Joſephus Furſt, Daniel Heſeler, Kilianus Utman, Caſparus Artzat, Iohannes Engelhart, Nicolaus Eben, & Caſparus Landshutter. Ex *venerando* autem *miniſterio*, *præter* Paſtores, præpoſitos atq; Eccleſiaſtas ſuperiùs recenſitos, eodem hoc *dimidio ſæculo Seideliano* obieruntviri Reverēdi, Clariſſimi, Doctiſſimi, *Chriſtophorus Poppius, Caſpar VVeigler, Fridericus Scholtz, Michael Franck, Ambroſius Moibanus, David Seidel, Paulus Glodius, Chriſtophorus Albertus, M. Ieremiasig VVandus, Eſaias Herman, M. Elias Guttvvein, Johannes Foſtius, Lucas Pollio, M. Andreas Pollio, David Rheniſch, Michael Hermannus, Andreas Maleſius, Franciſcus Virling, Bonaventura Heider, Caſparus Hippander, Nicolaus Siderus, Johannes Pſyretus, Simon Murarius, David Gerardt, Nicolaus Neander, & Iohannes Roſner.* Ex *collegio* autem *magiſtrorum pueritiæ in ſcholis* hujus Reipub., idem tempus vidit monentes Viros Clariſſimos, præſtantiſſimos, Humaniſſimos, *Bonaventuram Roslerum, Martinum Hoffmannum, Michaelem Heinrich Andream*

dream VVeigler, Johannem Ferſium, Eraſmum Radevvaldt, M. Melchiorem VVeigler, M. Martinum Langæum, Simonem Lyram, M. Andream Jonam, Matthæum Oſtium, Nicolaum Sartorium, M. Martinum VVeinrich, Georgium Leonem, Georgium VVinckleram, Caſparum Prittmannum, Georgium Schultzium, Laurentium Nequitium, Oſvvaldum Hager, pluresq́; alios. Sed quis ex alijs vitæ ordinibus ſplendidiſſimis atq; honoratiſſimis defunctus per id tempus, recenſendo queat enumerare? Poeticum propè illud hîc uſurpem:

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centũ.

Nominabimus tamen aliquos, eosq́; maximè celebres viros, *ornamenta non noſtræ ſolùm Sileſiæ.* Deceſſerunt igitur, *quinquaginta iſtorum annorum* intervallo, *Johannes Sprembergius, Abrahamus Abrahami pater, Abrahami avus Seiler, Iohannes Crato, Iohannes VVoiſel, Paulus VViticbus, Andreas Dudithius, Albertus Vrſinus, Georgius Tilenus, Paulus Holtzbecher, Laurentius Scholtz, Andreas Buttner, Caſparus PaKiſch, Iacobus Monævius, Andreas Reus, Sebaldus Gebhardt, Petrus Sprembergius, Iohannes Herman, Chriſtophorus Rumbaum, Sigiſmundus VVoiſel, Paulus Fridtlandt, Andreas Calagius, Carolus Greuſſer, Chriſtophorus Rademan, Iohannes Cretſchmar, Chriſtophorus*

Hen-

Henscher, Franciscus Langer, & innumeri alij. Sed ab istis catalogis tempus tandem est redeundi, ad nostrum *Seidelium*: cui dum vitam hanc & officij administrationem longiorem gratulamur, *si de causis hujus lõgævitatis* cogitationes paucas suscipiamus, extra oleas nos vagari non opinabimur. Quid enim est, quod *vitæ Seidelianæ* spacium ad hujus tam venerandæ caniciei annos extendit? An non hic divinus favor atq; amor deprædicandus nobis, qui ad hanc usq; tempestatem in vitâ conservavit hominem, eoq; quasi præmio, sed gratuito, pietatem, modestiamq; *Seidelij* olim pueri ornavit? Sic certè existimo, & sic mecum existimabunt omnes, qui *quartæ in divino Decalogo legis* verba secum agitaverint. Apud *Poëtarum principem Homerum*, † ubi *Hippothous Pilargus Læti* filius ab *Ajace Telamonio* legitur interfectus, subijcitur, causæ instar, ob educationis præmia parentibus non reddita ad breve eum tempus vixisse. Verba sunt —— οὐδὲ τοκεῦσι

θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰών.

Hoc est, ut iterum cum *Erasmo* * vertamus, sed duabus immutatis voculis:

Ast neq; nutricandi dulce parentibus ille
Reddidit officium: sed ei breve contingit ævũ.

† Iliad. ρ

* Adagijs, pag. 815.

Ergo

Ergo Ethnicus hoc agnovit, & Christiani non intelligemus, pietatem parentibus exhibitam à liberis tum modis alijs, tum vitæ ejusdem longævæ ejusdem felicis munere, divinitus compensari? & nos dubitabimus, *Seidelium* parentum suorum fuisse observantissimum & amantissimum, cum *ex octodecim unorum parentum liberis* ipse unus nunc superstitet? Quod si ab hac benignitate DEI, *qui redimit de interitu vitam nostram, & coronat nos in misera-*
† Psalm. 103. *rationibus*, ut sacer *Psaltes* † loquitur, discesserimus; vix erit, ut negemus, singularem illam animi tranquillitatem, quâ fruitur *Seidelius*, temperantissimamq; diætam, quâ idem utitur, ad hoc senium, non mediocre momentum afferre. Quis enim pacatiore liberioreq; animo senectutem sustinet, quam *Seidelius*? quis â vehementioribus illis animi commotionibus, quas Græci πάθη dicunt, alienior est *Seidelio*? quis de juventute piè & castè transactâ, justiùs gloriari potest *Seidelio*? Profectò in eum competit, quod in vulgato, sed admodùm scito disticho quæritur simul, simulq; respondetur:

Cur tibi tam facilis, cur tam jucunda senecta est?
Libera quod vitijs prima juventa fuit.

Nam

Nam *de diætâ hominis* quid differam? Quãtam is in laboribus adhibet moderationem, ut nec nimijs se operis obruat, nec planè omni corporis motu atq; exercitio careat? Hinc videas eum quotidiè propemodum ad hortum, quem non in amœnum in *suburbio Elbigensi*, ut vocant, possidet, visere, ambulatione nec inutili, nec invidendâ huic seni. Qua cibi autem potusq; res est, ita temperanter vivit, ut prandio contentus, rarò in cœnâ præter ovum aliquod tremulum seu sorbile, præterq; panis atq; casei bucceam unam & alteram, quicquam cibi capiat. Quod si minùs bellè se valere senserit, statim medicamentis quibusdam sibi familiaribus utitur, in quibus *hiera para* maximoperè *Galeno* celebrata, facilè ducit familiam. Nimirum penitùs novit *Seidelius*, legitimam victûs rationem & ad vitæ sanitatisq; conservationem conducere plurimùm, & in primis hominibus in litterario ocio versantibus, esse necessariam. Admonuit hujus rei *Joachimum Camerarium Antonius* Niger, *civitatis hujus*, ut antiqui loquebantur, *filius*, sed *Reipub. Brunsuicensis Medicus*, Vir Clarissimus ac sapientissimus, *studia profectò*, inquit, † *assidua*

† dicto libello 3 EpiP. Hessi.

dua, cum corporis valetudine mirabiliter pugnant, viresq́; nobis nec sentientibus depascunt. Dabis igitur, humanissime Joachime, operam, ut relaxato interdum à studijs animo corpori etiam nonnihil inservias. Et in aliâ Epistolâ ad eundem idem: *Rusticis & opificibus, aliisq́; qui laboriosam vitam agunt, medici non videntur dedisse præcepta. At ingeniosis omnibus studiosisq́; necessaria sunt, ut quorum tota vitæ ratio sanitati adversetur.* Hæc *Antonius* Niger. Sed nescio, *Auditores*, nescio profectò, qui fiat, ut quò plura dixi, hoc plura mihi dicenda videam. Gratulatus sum *Seidelio* nostro de molestijs multis & maximis jam exantlatis & quasi divictis: gratulatus sum de virtute & constantia nullum laborem reformidante: gratulatus sum de divinâ clementiâ, de animi tranquillitate, de diætâ optimâ; quibus rebus valetudinem & vitam diuturnam contineri dixi. Gratulemur nunc etiam eidem (quod caput gratulationum harum meritò putandum est) *de officio laudabiliter peracto.* Sed gratulemur non pro dignitate, copiosè, sed pro temporis brevitate, & ingenij nostri parvitate breviter. Quanta igitur *Seidelij fuit diligentia*, cura, studium in informandâ juventute?

Omni-

Omninò talis fuit, *Seidelius*, quales descri- † lib.2.de
bit apud *Ciceronem Antonius*: † *Ego autem,* Orat.
inquit, *si quem nunc planè rudem institui ad dicendum, velim, his potius tradam assiduis uno opere eandem incudem diem noctemq́ tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atq; omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris in os inserant.* De ipsius porrò *fidelitate* quid dicam? Vt loquor, ita sentio: Si adolescentibus unâ horâ omnem scientiam atque artem infundibulo quodam instillare posset, instillaret. Non fuit ex eorum hominum doctorum numero, qui adolescentibus cupientibus atq; instantibus doctrinam communicare nolunt, aut superbiâ aut inhumanitate aut invidiâ, id facientes, aut quod adolescentum studio rectissimo atque optimo obsequi nolunt. *Antonio* potius summo illi Oratori semper fuit simi- * lib.1.de O-
lis, ad quem ita apud eundem *Ciceronem* * rat.com.128
adolescens *Sulpicius*: *quo in genere, tu Antoni (vera loquar) nunquam mihi percunctanti aut quærenti aliquid defuisti, & persæpè me, quæ soles in dicendo observare, docuisti.* Nimirum probè intelligit, & graviter & verè scriptum esse â *Mediolanensium Antistite Ambrosio*: † *Qui doctrinæ suæ gratiam non* † in c.19. Luc.

dividit imperitis, docere cum poßit, haud mediocris reus est culpæ. Proinde hoc quasi Symbolum ejus est, quod *Seneca* de se dixit: *Omnia cupio quæ scio, in alium transfundere, & in hoc gaudeo discere, ut doceam*: aut
* Versu 767. quod apud *sententiosum Poetam Theognidem* * legere est, interprete Jacobo Schegkio.

Vates Musarum studiis qui pollet & arte
Invidet hic nulli, quæ didicitq́, docet.
Quærere sed decet hunc, quæsita docere petentes,
Si solus teneas, quid, rogo, multa juvat?

† Videatur Erasmus Adag. pag. 89.258.& 550.

Atq; hoc ipsum est, quod & *proverbia* † habent, cum monent, *Expertes esse invidentiæ Musarum fores*; item *Apertas Musarum januas*; deniq; *occultæ Musicæ nullum esse respectum*. Quid mirum igitur est, *tam fidum sedulumq́; præceptorem* multa præclarè atq; utiliter in erudiendâ juventute præstitisse? Nam quid multa de hoc dicam, quod omnibus est notissimum? Quocunq; te animo & cogitatione converteris, permultos excellentes in omni genere publicorum munerum videbis, qui gaudebunt, & gaudendo fatebuntur, & fatendo gloriabuntur, *se disciplinæ doctrinæq́; Seidelianæ olim alumnos fuisse*. Ita igitur *cum discipulis suis* versatus est *Seidelius*, Sed non minus laudabiliter & *cum collegis*. Rectè scri-

ſcribit *David Rungius*, Theologus eruditiſſimus, Commentario *in Exodum Moſaicam*: † *Inter beneficia & commoda temporalia in qualibet vocatione non poſtremum eſt, habere fidum & benevolentiâ conjunctum collegam. Durante enim vinculo conjunctionis, labores procedunt feliciùs & faciliùs, & virtus unita fortior eſt ad omnes caſus perferendos: nec tantum opere, ſed etiam exemplo ædificat mutua collegarum dilectio: quemadmodum è converſo* ζυγομαχία *deſtruit labores & impedit, auditores offendit, collegas ipſos frangit, & aliis inviſos reddit, ſicut dicitur Galat. 5. v. 15. Si vos invicem momorderitis, videte ne invicem conſumamini.* Hæc omnia obſervans *Seidelius*, quantum in ſe fuit, pacem, concordiam, amicitiam, cum Collegis ſuis coluit atq; fovit; ac ſi, ut quandoq; ſolet fieri, *fribuſculi aliquid* inter ejusdem officij ſocios exortum eſſet, ut id quamprimum ſopiretur ac componeretur, operam dedit. Quid? quod non ſolum ob concordiam, ſed & *ob urbanitatem* ſuavis eſt cum *Seidelio* converſatio? Quod enim de *Craſſo* apud *Ciceronem* * dicitur: *Magna erat in homine jucunditas, magnusq; in jocando lepos*: & de *Appio Pulcro* in ejusdem *Ciceronis Epiſtolis*: † *Homo, meâ ſententiâ, ſummâ prudentiâ, multâ etiam doctrinâ, plurimo*

† cap. 4

* lib. 1. de orat. com. 62.

† lib. 3. famil. Epiſt. 7.

rerum usu, adde urbanitatem, quæ est virtus, ut Stoici rectissimè putant: hoc omne de *Seidelio* nostro rectè dixerimus. Adeò & erudita, nec inficeta in medium solet proponere, cum alijs quando verba copulat, ut cum voluptate singulari audiri possint ejus sermones: præsertim illę, quas plurimas & festivas novit, historiæ. Quid multis? Qui cum ipso vivimus collegæ de animo ipsius amico & pacifico gratulari nobis, & illud † *Davidicum* sæpius canere possumus.

† Psalm. 133. vertẽte Phil. Melanch. l. 1. Epigram.

Exiguis addit vires concordia rebus,
Et cumulat modicas, atq; tuetur opes.
Utq; senis celso manantia vertice Aronis,
Infirmos artus balsama larga rigant:
Sive satis ut vita redit, dum Sirius agros
Torret, si gelido rore madescit humus.
Sic ubi sunt æquo sociatæ fœdere mentes,
Fidaq; communis pectora junxit amor:
Virtutem Deus adspirat, placidoq; favore
Provehit, & vitæ cuncta pericla regit.

Dixi breviter quomodo in officio suo & erga discipulos & erga collegas se gesserit *Seidelius*: *quid ipse si ad se referatur præstiterit aut cognoverit*, longum esset exponere. Apud *Euripidem Jocaste* ita filium suum *Eteoclem* alloquitur.

Ω τέκ-

Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ
Ἐτέοκλες, πρόσεστιν. ἀλλ' ἡ ἐμπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον

quod ita versibus Latinis reddidit *Melanchthon* † — † lib.3.Epigr.

Senecta non laborat omnibus malis
Sed, gnate, magnam rerum experientiam
Dicendo polleat ut plus junioribus.

Quod profectò & de *Seidelio* omni jure affirmaverimus. Attulit huic longior vita, senectutem; senectus experientiam; experientia prudentiam. Multa igitur in hoc munere scholastico didicit, multa experiendo cognovit. *Intelligit*, quod Germani dicunt proverbio, *Ex pueris etiam viros evadere* qui aliquando recordentur, quo pacto à magistris fuerint informati, bene nè an secus. Minus rectè institutus erat, à præceptore suo *Erasmus Roderodamus*: Meminit id, & reprehendit in opere *de conscribendis Epistolis*. * *Maximilianus quoq; Imperator laudatißimus*, referente *Cuspiniano* — * pag.11. in vita ipsius, dicere solitus est; *Si hodiè Præceptor meus Petrus viveret, quanquam multa præceptoribus debeamus; efficerem, ut se instituisse me pœniteret. Intelligit* quoq; juventuti necessariam esse institutionem eam, quę à *viva voce* magistrorum proficiscitur: atq;

eos juvenum desipere, qui suo *Marte, & sine Theseo*, quod ajunt, solo librorum adminiculo in studijs proficere quid se posse putant. Quorum opinio si esset vera, quid tandem necesse esset, aut nunc scholas extrui & conservari, aut olim præceptores auditos fuisse? Cur igitur *Metrodorus* cum *Clitomacho* & *Æschine Carneadem* olim diligentiùs audierunt? Cur *Mnesarchus Panætij* auditor fuit? Cur *Demosthenes Platonis* studiosus audiendi fuit? Cur alij alijs usi sunt præceptoribus, quorum exempla plurima adduci possent: sed in præsens ea saltem recensui, quæ superiori tempore juventus nostra in *Ciceronis* † explicatione audire potuit. Sed & hoc *intelligit*, non apud omnes adolescentes felicem esse informationem; *nec ex quolibet ligno Mercurium* * *fieri*. Et scitè *Menedemus* apud *Plutarchum*, *permultos*, ait, *Athenas venire, studij causâ, in principio sapientes, deinde Philosophos, posteà rhetoras, postremò idiotas* † *evadere*. *Intelligit* quoque nostras in scholis operas, varijs propè omnium hominum censuris & judicijs esse obnoxias. Rursus tamen id etiam *novit*, quod *Justus Lipsius* vir magnus ad magnum pariter virum, civem nostrum, *Jacobum Monavium*, de cujus morte an ma-

† lib.1. de Orat. com. 107. & 206.

* Vide Eras. Adag. p. 499.

† Vide & hic Erasm. ibid. pag. 81.

jor fuerit bonarum litterarum, quam de vitâ, virtute & eruditione filij ejusdem nunc sit lętitia, equidem vix possum dicere; ad hunc igitur *Monavium Lipsius* † scribens: *Non scimus*, ait, *arbores, quæ juxta vias sunt, saxis & fustibus peti sæpius, & homines linguarum his telis, qui in limite melioris famæ, non tamen ea nocent: immò juvant; & ut frumentum triturâ folliculos exsuit ac deponit: sic nos concußiunculis illis paleas, si forte. Intelligit* porrò *Seidelius*, quanquam plerunq; majores sint labores atq; operæ mercede & præmio: tamen simul expertus est, *Justum non derelinqui divinitus*, sed sæpê â magistratu clementissimo, sæpè ab aliorum liberalitate hominum ea obvenire munera, quæ nec opinati ipsi essent. Nimirum vera sunt sanctissimarum scripturarum oracula, apud *Paulum*:* † Cent.2.Epist.98. *1. Corinth. 15.58.

Non labor in Domino vester inanis erit: apud *Davidem*, † *Omnia quæcunq; faciet pius, prosperos habebunt successus*: & iterum apud *Apostolorum Principem*:* *Deus efficit in vobis, ut velitis & perficiatis, ut aliqua fiăt ipsi grata*. Sed quis omnia huc pertinentia aut excogitet aut enumeret, Tibi, *Seideli*, senex optime, senex venerabilis, non meo tantùm, sed potius omniũ, quos hic tuis usurpas oculis † Psal.1.3. *Philip.2.13.

lis, nec horum tantùm, verùm & multorum aliorum hîc alibiq; viventium nomine, gratulor, de hoc die tuo solemni, quem illucescere tibi divina bonitas hodie sivit. O feliĉe te, qui tot labores suscepisti, tot molestias devorasti, & vivis tamen &(quod tibi Deus diu velit esse proprium) vales. O constantem te & singulari virtute præditum, qui rei litterariæ, communisq; commodi & salutis causâ, tanto tempore *lapidem hunc plus quam Sisyphum voluisti volvere!* O *albæ Gallinæ filium*, qui tot & coætaneis & natu majoribus, & junioribus morte quasi deletis aut exstinctis, adhuc & ipse splendes & juventuti facem ad bonas litteras præfers, pari suavitate,

Vt esse Phœbi dulcius lumen solet

Iam jam cadentis,

†Troad. quemadmodum canit *Seneca Tragicus*. † O te & ob divinam pietatis tuæ remunerationem, & ob conscientiæ lætissimam trãquillitatem, & ob incredibilem temperantiam, & ob industriam maximam & ob inauditam fidelitatem, & ob blandissimum pacis studium, & ob rerum insignem usum ac sapientiam, & ob cætera DEI, ingenij, fortuneq; munera amplissima

plissima, tam diu amandum, colendum, prædicandum.

Dum mare, dum tellus stabit, dum sidera cœli †

Det tibi Deus, o *Præceptor olim nunc collega honorande*, det tibi, quod ipse tibi contingere percupis. Ego si hoc tibi optem, satis multa tibi precatus esse mihi videbor: ut, quodcunque est vitæ, quod adhuc tibi transigendum est, quod utinam longisśimum sit! id & Dei & Magistratus nostri, & cæterorum fautorum ac Mecænatum beneficio, ita transigas ut quicunq; de tuis honoribus, deq; tuâ felicitate aliquid resciverint, dicant, quod olim de *Spartâ** jactitabatur: *In solâ Vratislaviâ expedit senescere.* Verumenimverò quo me iterum perduxit orationis hujus incitata celeritas? In animo erat, cum scribere inciperem, post officium hoc *Seidelio* exhibitum & *Senatui nostro Magnifico Amplisśimoq; & scholæ*, tum huic tum cæteris prudentisśimæ hujus ac florentisśimæ Reipub hoc ipso nomine gratulari. Sed in præsens venia mihi petenda est: neque enim tempus, ut id faciam, permittit, neq; amplius sermone meo molestus vobis esse debeo, *Auditores benignisśimi.* Quamvis

† Versus Buchanani Psal. 89.

* Vide Eras. Adag. p. 89.

vis quis neſcit elogium illud, quo *Philippus Melanchthon* Senatum noſtrum ornavit, veriſſimum eſſe, *Vrbs Vratislavia* inquit, *non ſolùm artifices induſtrios habet, & ingenioſos cives peregrinatores, ſed etiam Senatum munificum in juvandis litterarum & artium ſtudiis*. Quis etiam ignorat, in ſcholis noſtratibus ſubinde floruiſſe viros doctos, diligentes, fideles, claros, & tales omnino qualis eſt noſter *Seidelius*? Atqui talia tractanda atq; exaggerenda fuiſſent in iſtis gratulationibus. Hæc igitur in præſentiarum bonâ veſtrâ cum veniâ taciti prætereuntes, ad DEUM *optimum maximum* datorem & fautorem bonarum artium, ſcholarumq; protectorem potentiſſimum nos convertimus, &, O immenſum, æternum, clementiſsimumq; Numen, tibi, quantas poſſumus, agimus gratias, quod Reipub. huic tum alia optima maximaq; multis ab hinc annis, tribuiſti beneficia, tum inprimis, quòd per Magiſtratrum pium, ſapientem, benignum ſcholas & ſtudia illa, *ſine quibus humana non poteſt ſarta tecta conſervari felicitas*, conſervaſti hactenus, & conſervas etiamnum. Te, ò cœleſtis Pater, ſupreme omnium ſcholarum & Rerumpub. præſes,

† In quadam Epiſt.

ſes, ardentibus veneramur ſuſpirijs; ſerva hoc munus tuum longè præſtantiſsimum, & facut florente *Jmperatore Rom. invictiſsimo, Domino noſtro Clementiſsimo, Ferdinando II.* florentibus etiam *ſacri Rom. imperij Electoribus ac Principibus Potentiſsimis*: florentibus *Ducibus atq; Ordinibus Sileſiæ noſtræ ſereniſsimis*, florentibus deniq; *inclytis inclytæ hujus Reipub. Capitaneo & Senatoribus, & Dominis & Patronis noſtris honorandis*; floreant quoq; ſcholæ, vigeant docentium labores, vireant diſcentium profectus. Fiant hæc, ò fiant, Mitiſsime Pater, & mens benigniſsima: ita fiet, ut pro immortalibus, & verè divinis beneficijs, non ſolùm in hoc terrarum orbe ſingulares tibi agamus gratias; ſed ad laudes tuas celebrandas, & quantum in nobis, adaugendas, in omnem æternitatem, cum beatis angelorum & electorum hominum cœtibus, ſonemus iſtud τρισάγιον,

—— *Deo ſit laus & gloria Patri,*†
Gloria ſit Chriſto; compar ſit gloria ſancto
Spiritui nullis ſæclorum in ſæcula metis.

† Verſus Taubman Sched. p. 61.

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0027697